Aliter quoque ſententia exponi poteſt, ſi quis recipiat aliam lectionem, quæ habet *iniquitatem* in accuſandi caſu, ut meminit Euthymius, & de qua poſtea dicemus: quod *perſequentes appropinquaverint, & adduxerint iniquitatem ſuam* prope Davidem, ac pene comprehenderint eum: vel ut damnum meditatum inferrent, vel ut etiam pertraherent ad iniquè agendum; quod utrumque plurimum recedit & abhorret à Dei lege.

Tertio ex alia lectione, *appropinquaverunt perſequentes me iniquè*, ſeu *injuſtè*, aut *iniquitate*, ideſt, cum iniquitate, quo pacto Latini quidam legunt, ut Ambroſ. Auguſt. dictus Hieron. Caſſiodor. Proſper; efficitur ſenſus alius; ut ſic deſcriptio perſecutorum, qui dicantur ad nocendum illi appropinquaviſſe abſque ulla cauſſa; ſed inique agendo, prævaricando, à Dei lege procul abeundo. Verè autem dicunt iidem peculiariter cenſeri recedere longius à lege, qui proximo nocent, quia ſumma legis conſiſtit in proximi dilectione *a*, & *non poteſt, qui fratrem, quem videt, non diligit, Deum quem non videt* b, *diligere*. Quartus ſenſus, ut ſe dicat merito oraſſe vivificationem ſuam, ſecundùm judicium Dei juſtum; eo quod patienter tulerit perſecutiones; *Deus* vero *non ſit injuſtus, ut obliviſcatur*. c

a Deut. 5.6. Rom. 13.10. b 1 Joa. 4.20 c Hebr. 6.10.

Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati.) Hieronymus, *appropinquaverunt perſecutores mei ſceleri*. Alii, *appropinquaverunt ſceleri ſequentes*, ſeu *qui ſequuntur ſcelus*, aut *appropinquaverunt perſecutores ad ſcelus*, ideſt, prompti paratique fuerunt ad omne ſcelus, nec potuerunt cohiberi ulla lege, utpote, quam penitus oblivioni tradiderint, & à qua ſeſe ſponte removerint. Item, qui ſtudent ſceleri, id ſectantur quam proxime; à lege autem Dei abſunt quam maxime. Tranſlatio Nebienſis ex Chaldæo habet; *appropinquaverunt perſecutores mei adulterio*. Legerunt LXX. non ut nunc eſt רודפי *rodephe*, ſed cum affixo רודפי *rodephai*, *perſequentes me* aut *perſecutores mei*: nomen autem ἀνομία potuit Latinè reddi, vel in dativo, ſicuti nunc extat in editione noſtra, vel in ablativo, ſupplendo *in*, quamvis Ambroſ. primam tantum concedat; vel adverbialiter, ut retuli nonnullos legere, in quibus eſt idem Ambroſ. qui habet, *iniquè* & Caſſiod. qui *injuſtè*, & ſecundo modo habetur quoque in vetere Pſalt. Auguſt. utramque verſionem refert, *iniquitati*, & *iniquè*. Videtur Arnobius legiſſe, *iniquitates*, quaſi eſſet ἀνομίας, & abſtractum exponere per concretum, appellans dæmones in idolis, & ſpiritus malignos in cogitationibus malis. In Romano Pſalterio habetur *iniqui*, Symmac. vertit ἔσπευσαν *feſtinaverunt* pro *appropinquaverunt* προσήγγισαν. Apollinarius expoſuit *ſociam habere iniquitatem*.

Δυσνομίην ἐλατῆρες ἐμοὶ συνέριθον ἔχεσκον.
Injuſtitiam expulſores mei ſociam habebant.

Parum refert quod Hilarius legat, *appropiaverunt*, Pſalterium vero Ambroſianum, *appropiaverunt qui perſequebantur me*, & ad ſenſum perinde fere eſt, ſive appropinquationem perſequentium referas ad iniquitatem, ſive ad eum, cui cum iniquitate nocent. Noſtræ tranſlationi congruit appropinquatio ad iniquitatem; quod indicat & pronomen, *me*, & in dativo caſu, *iniquitati*, & antitheſis, *à lege autem tua longe facti ſunt*, item in ſequenti verſu, *prope es tu Domine*. Alioquin in alio Pſ. d *appropinquantes alicui* docuimus eſſe, qui adverſantur, ac bellum gerunt. Quo modo poſſemus præſentem locum interpretari, ſi legeremus, & intelligeremus appropinquationem ad nocendum non ad ipſam iniquitatem. Poſtremo appropinquaviſſe iniquitati perſecutores David, quæ זמה *zimmach* dicitur, præmeditatum facinus, eſt fere id, quod erant præmeditati, ac fraudulenter machinati præſtitiſſe, ac pene nihil propius fuiſſe, quam ut quod moliebantur obtinerent. Bonaventura tropologiam perſequitur de cogitationibus malis, quæ quum conſenſus accedit, appropinquare dicuntur iniquitati. Diſtinguit etiam cogitationes rationales, quæ perſequuntur & fugant animales, quod laudabile eſt: animales quæ fugant rationales, quod vituperabile, ſed aliquo modo excuſabile: rationales, fugientes licèt animales non perſequantur eas; quod vituperabile, ac penitus inexcuſabile.

d Pſ. 34.29. Tropologia

A lege autem tua longe facti ſunt.) In Illyrico Pſalter. *diſceſſerunt*, tanto receditur magis ab uno extremo, quanto ad aliud acceditur magis. Quum autem omne peccatum lege Dei contrarium eſt, ac per id *elongat ſe* quis ab ejuſdem auctore proindeque *perit*, quia *ipſi perdit fornicantes à ſe*: e tùm præſertim proximi odium, quia proxime poſt amorem Dei datur præceptum de amando proximo f. Lex ipſa quoque naturalis hunc amorem dictat, inditque nobis mutuum, ac ſociales facit g. Quare maximum eorum quæ in proximum committuntur, peccatum rectè definit beatus Thomas h eſſe odium, ſicùt non poteſt gravius in Deum peccari, quam illum odiendo. Qui appropinquant iniquitati, & conſequenter iniquis, fugiunt ſocietatem bonorum; *innocentes*, autem, *& recti adhærent ſub ſimilibus*, atque *ſuſtinentibus Deum* i, cui credunt, quem ſperant & amant. Per ſolum peccatum mortale appropinquatur iniquitati ita, ut ei adhæreatur, & ſic longe à lege recedatur ac legi repugnetur. Veniale peccatum habet nonnullam, ſed non abſolutam cum lege repugnantiam, nec per id cenſetur quis adhærere iniquitati, & ſimpliciter appellandus iniquus: Non *derelinquit* quis *Deum in non cuſtodiendo* k exactè ipſius legem: neque ut canitur poſtea l, *longe eſt ſalus ab illo*, qui non appropinquat adeo iniquitati, ut finem ultimum conſtituat in creatura. Applicat Chryſoſtomus iſta ad Judæos, qui dum perſequebantur Apoſtolos, cenſebantur ſimul & Chriſtum ſpernere ac perſequi, m & ſibi eumdem Chriſtum reddere inimicum, & ab Evangelica lege longe fieri.

e Pſ. 72.27. f Matt. 22.37. g Senec. ep. 7. Odium maximũ peccatum eorum quæ in proximum committũtur. h 2.2. qu. 33. art. 4. & 5. i Pſ. 24.21. Per ſolum peccatum veniale non cenſetur quis ad hærere iniquitati & ſimpliciter iniquus dicendus.

Verſ. 151.) Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas,

Senſus loci.

SOlatur ſeipſum inter tot perſecutiones & perſecutores iniquiſſimos, qui meditatam iniquitatem contra ipſum perficere ſtuduerunt, & ipſummet in eamdem pertrahere, atque ſecum procul à lege divina removere; quoniam quantumvis accedant illi à Dei lege, non poſſunt effugere Deum, qui eſt ipſis prope per juſtitiam & potentiam, & ſibimet per miſericordiam & favorem; ejuſdem vero viæ omnes, quibus mundum gubernat, veræ ac juſtæ ſunt, ipſiſſimaque veritas, & juſtitia. Nec abibunt, inquit, improbi perſecutores impune: non abducent me quo volent; non nocebunt pro arbitrio. Puniet illos aut coercebit; me vel liberavit, vel tribulationem vertet in melius. Nullam prætendere poterunt excuſationem quod receſſerint longe à lege, quia Deus prope eſt, ac paratus eoſdem revocare ad ſe, & ad legem per gratiam; Hoc ultimum eſt Brunonis Carthuſiani, ac Pampolitani. Eſt *Deus appropinquans obſecrationibus* n, & clamori ſuorum: *prope omnibus invocantibus eum in veritate* o, ſicut ipſe veritas eſt, viæque ejus: *prope ſive juxta tribulatis corde* p. Ipſemet de ſe ipſo Deus affirmat, quod *ſit Deus appropinquans*, ſeu *è vicino, & non Deus de longe*; ita, ut *occultari vir in abſconditis nequeat, & non ab illo videri, qui cœlum & terram implet* q. Quam immenſitatem, atque in omnibus præſentiam Dei plura ſcripturæ alia teſtimonia docent, quæ non eſt nunc neceſſe colligere. Quædam colligit Ambroſ. & argumentatur ex comparatione ſolarium radiorum, qui omnia ſubeunt & penetrant efficacia ſua: item animæ, cujus vigor per corpus omne diffunditur. Sed monet illam ſingulari modo foveri à Deo, qui appropinquet ei, nec fulgori divino claudat feneſtram cordis; nec in oculo feſtucam, aut quidquam ſordis ægritudiniſve habeat; ſed aperiat *pulſanti Dei verbo* * & Deo, cui etſi nihil ſit obſervatum, nihil clauſum, portas tamen malitiæ dedignatur aperire, conclavia non vult penetrare nequitiæ: corruptæ animæ membra non dignatur habitare: fugientes non retinet, non cogit invitos: non faſtidit appropinquantes, quos à ſe peccata non ſecernunt, ut *ſe ab ipſo elongantes pereant*; r proprior eſt *adhærentibus ſibi* ſ, & illis qui *contrito ſunt corde* t, quemadmodum in Sina montis vertice cum Deo ſolus erat Moyſes u, quia ſupra tentationem omnem, quod Etymon eſt Sina, contrito corde deferebat precem: tandem qui *mundo ſit corde viſurum Deum* x. In Hilario eadem propemodum reperies, adnotante idoneam nullam ſatis aſſignari poſſe comparationem ſimilitudinis: quia incomparabile eſt quidquid æternum eſt: nec recipit configuratæ veritatis ſpeciem ininitabilis Divinitatis exceptio: ſed intelligentiæ noſtræ iſtiuſmodi coaptantur exempla. Præterea documentum edit ethicum, ut nos in Divinitatis ſinu agere credamus: neque eum abeſſe quum iraſcimur, quum cædimus, quum contemnimus, cum maledicimus, quum inebriamur, quum libidinamur, quum divina & humana negligimus, majore contumelia ejus intra quæ hæc agimus peccantes, Plura de eadem ſententia diximus aliàs. Studeamus

n Deut. 4.8. o Pſ. 144.19. p Pſ. 33.19. q Jer. 23.23. 24. * Apoc. 3.20 Cant. 5.2. r Pſ. 72.27. ſ ibid. t Eſa. 66.2. u Ex. 19.20. Etymon Sina. x Matt. 5.8. Quidquid æternum incomparabile eſt.

deamus

deamus cum *peccatoribus illis & publicanis appropinquare ad Jeſum* a; & cum Ruth b, petere ab ipſo, jure propinquitatis, *ut extendat ſuper nos pallium favoris ſui* & cum peregrinis Emmaus medium illum admittere c, de ipſo colloquendo audiamus admonentem Jacobum d, *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*: & Prophetam noſtrũ e *accedite ad eum & illuminamini*: caveamus dicentes f, *recede à nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus*: & *receſſimus* g, *nec ultra veniemus ad te*: ne ſcilicet *à Domino recedat cor noſtrum* h, & *recedamus à Deo ſalutari noſtro* i: & *abſcondamus nos ab eo* ſicut Adam k: *malum* enim *& amarum eſt derelinquere illum* l: ille vero *in his, qui appropinquant ei, ſanctificatur* m. Explicat Hugo modos, quibus Deus prope eſt, nempe orantibus, & invocantibus, patientibus, & tribulatis, laborantibus; de ſe loquentibus; infirmantibus; pœnitentibus; omnibus etiam malis, ut recipiat. Ubi & hiſtoriam recitat ex vitis Patrum piam ſane, ac lectu dignam, ut oſtendat Deum prope eſſe, ut malos quoque, ac Apoſtolos recipiat.

a Luc. 15.1 b cap. 3.9 c Luc. ult. 13. 14. 15. d cap. 4.8. e Pſ. 33.6 f Job 21.14 g Jer. 2.31. h cap. 17.5 i Deut. 32.15 k Gen. 3.8 l Jer. 2.19 m Lev. 10.3

Prope es tu Domine.) Rickelius legit, *prope eſto* in imperativo, explicans, per gratiam, opemque perennem mihi aſſiſtas; atque ſic vertit Campenſis, *appropinqua & tu Domine*. Et ſic videntur transferre, qui habent, *prope ades*: ſiquidem imperativi modi hoc poteſt eſſe. Hebræus textus caret ſubſtantivo verbo; ita ut ſuppleri poſſit verbum vel præſentis temporis indicativi modi, vel imperativi. Sed Græcum εἶ, & Latinum *es*, atque communis ceterorum explanatio, ipſeque contextus cum ſequenti membro, plane demonſtrat eſſe orationem affirmantem. Facilis error fuit ex *prope es tu* efficere *prope eſto*.

Et omnes viæ tuæ veritas.) Hieronymus *mandata tua*: quod etiam ſignificat מצותיך *mitſuotheka*: & ita quoque legitur in Romano Pſalterio, & in Ambroſiano apudq; putatum Hieronymum, Arnobium, Caſſiodorum, Hilarium. Apud Ambroſium vero, *præcepta*. Neſcio cur ὁδοὺς, *viæ* LXX. tranſtulerint. Alioquin *viæ* dici rectè poſſunt divina mandata, ſive præcepta, eo modo, quo prius appellatam vidimus *viam teſtimoniorum Dei* n, *juſtificationũm* o, *mandatorum* p, & abſolutè *vias* q, ac *viam* r: præterea in aliis pſalmis ſ *viam*, & *vias*: item *vias vitæ* t. Alibi ſcribitur, quod *omnes viæ Dei judicia* u, vel *miſericordia, & veritas* x. Auguſtinus & Proſper, quod hìc dicitur, conciliando cum viis miſericordiæ, atque veritatis, ajunt erga Sanctos eſſe duas illas; quia Deus & in judicando ſubvenit, in quo non deeſt miſericordia & in miſerendo id exhibet, quod promiſit, ne deſit veritas: denique beatitudo Sanctorum eſt & de munere miſericordiæ, & de retributione juſtitiæ. Quod ſi conſideremus omnes homines, & alios eſſe, qui liberantur miſericordia: alios, qui à veritate damnantur. Illud Bruno Carthuſianus exponit, quia juſtum eſt, ut quum Deus miſericors ſit in natura, miſericordiam ſuam miſerendo exerceat. Videtur ſimplicior ſenſus paſſim traditus ab aliis ut veritas jũcta miſericordiæ, ſumatur pro juſtitia: hoc loco idem ſit, quod veracitas, & fidelitas; ita ſint veracia præcepta divina, nec fallant: quas Apollinarius vocat πανάληθέας ἀταρπούς, *veraces vias*. Pollicentur vera, & ſolida bona: minantur quoque vera mala: veram fidem, & pietatem docent: veram & ſempiternam viam largiuntur: quum autem vocantur *omnes viæ judicia*, quamvis in præceptis iiſdem locum id habeat, quæ cum judicio & juſtitia feruntur à Deo, & *omnia ſunt æquitas* y, ideſt, æquiſſima, *fidelia: factaq; in veritate & æquitate* z: tamen ibi Moyſes in ſuo Cantico de operibus Dei agit, quæ ſolent etiam nomine *viarum* intelligi: & cuncta fecit Deus cum judicio, ratione, juſtitia, æquitate, tùm circa totius mundi gubernationem, tùm peculiariter quæ ſpectant ad homines. *Vias* Hugo diſtinguit, qua venit Deus ad nos, carnem aſſumendo de Virgine, & in Virgine: qua verſatus eſt in mundo, nobiſcum vivendo; qua ivit in infernum, pro nobis moriendo: qua rediit in cœlum, primam eſſe pacificam, ſecundam planam & pauperem, tertiam aſperam & duram, quartam rectam & in poteſtate: de his innui per *viam viri in adoleſcentula, viam navis in mari, viam colubri ſuper petram, viam aquilæ in cælo* a; denique *omnes vias fuiſſe in veritate*. Chriſtus totus *via eſt, veritas & vita* b; qua de re multis ſatis piè diſſerit Petrus Simonis c; & quo pacto ille ſe in hoc natum & ad hoc natum dixerit, *ut teſtimonium perhiberet veritati* d. In homilia quadam ſuper hoc verſu apud Chryſ. tom. 1. notatur, quod hoc nomen *Veritas* conſtat ſyllabis tribus, litteris ſeptem: quia in ſeptima die requievit Deus (trinus nempe in perſonis) ab operibus ſuis, & requieſcit in veritate, ut nos in eadem, ex illa delectationem capimus. Latinum Auctorem eſſe neceſſe eſt, cujus parvi momenti ea notatio videtur.

n verſ. 14. o ver. 29. 33 p verſ. 32. q ver. 3. 15 r verſ. 37. ſ Pſ. 16.4 pſ. 17.31 pſ. 24.4. 9 pſ. 50.15 pſ. 85.11 pſ. 94.10 pſ. 102.7 t pſ. 15.11 u Deut. 32.4 x Pſ. 24.10 y pſ. 118.75 138. 172 z pſ. 110.8 Viarum diſtinctio ab Hugone aſſignata. a Prov. 30.19 b Joan. 14.6 c li. 2. de verit. cap. 16 uſque ad 33. d Joan. 18. 37 Notio de nomine Veritas

---

Verſ. 152.) Initio cognovi de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti ea.

Senſus loci.

QUod omnes viæ mandatorum, ſive præceptorũ Dei ſunt veritas, immò æterna veritas, æternæve veritatis, omni ex parte, ac ſemper veriſſima, prorſus immutabilia, & indiſpenſabilia; quia *in æternũ fundata*: & ut alibi canitur, *fidelia & confirmata in ſæculum ſæculi* e, *juſtificata in ſemetipſa* f, εἰς τὸ αὐτὸ, *in idipſum* abſq; commutatione, ac revocatione, ait David ſe jam inde à primo tempore, quo primum incepit animum adjicere in eorũ cognitionem, deprehendiſſe g. Quod ad univerſam Scripturam extendi poteſt, cum Rickelio. *Stat* enim *verbum Dei noſtri in æternum* h: licètq; *cælum & terra tranſeant, non tamen illud* i. Significat præterea ſe cognoviſſe de lege, ac ex lege ſcripta, velut ex umbra & figura, corpus ipſum, atq; veritatem rei præfiguratæ, & adumbratæ, quã Deus in æternum, hoc eſt in futuram legem Evangelicam, poſtquam alia nulla futura erat, fundaverit, ideſt, præſignaverit, ſiquidem loquamur præcipuè de præceptis ceremonialibus, quæ ſemper manent in ſuo ſignificato k. Id quoq; verum, teſtimonia Dei eſſe opera creationis, & gubernationis, teſtantia perpetuo quum etiam perpetuum retineant ordinem ſuum, ipſius potentiam, ſapientiam, bonitatem infinitam l. Adhæc, teſtimonia iſta ſunt ab ipſo mundi exordio de dando regno ſempiterno filiis Dei, quod ſe hìc Eccleſia dicat, cujus David induit perſonam, cognoviſſe m. Hilarius & Ambroſius complectuntur omnia teſtimonia, quibus à peccando avocari debemus, ordiendo à creatione primorum parentũ, & deſcendendo ad legem vetiti pomi n, ad ſanguinem Abel, qui clamabat vindictam o, deinceps ad alia, uſq; ad præcepta *coram cœlo, & terra teſtibus* data p: & quod quidquid flagitii commiſerint homines, adverſus legem Domini feciſſe, Angelorum, & poteſtatum ſanctorum quoq; hominum teſtimoniis arguantur: idcirco ædificãdum opus noſtrum ſupra tale fundamentum, ut non ardeat ſicut lignum, & ſtipula q: ſed ſicut aurum probetur, & æterno maneat nixum fundamine. In omnium antiquorum virorum vita, atque geſtis Hilar. ait æternorum bonorum ſpem contineri: & per eos ad doctrinam Evangelicæ prædicationis nos imbui: *ſuper ædificari nos ſupra fundamentum* non modo *Apoſtolorum*, ſed etiam *Prophetarum* r, adde & Patriarcharum; adde & quod *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus* ſ; ad utilem *cogitationẽ dierum antiquorum, & annorum æternorum* t; *memoriam dierum antiquorum, meditationem operum, & eorum quæ fecerunt manus Dei* u. Durior expoſitio una Hugonis, quod ſe David aſſerat initio iſtius operis cognoviſſe de teſtimoniis Dei, nimirum quando cecinit, *beatum virum, qui non abiit in conſilio impiorum*, &c. Nec Avendanus placet, explicans, ut primum pervenit ad uſum rationis, ut ſit idem, atq; quod, ut quidam declarabant, antea x dixerat, *præveniſſe in maturitate*: vel in perſona primorum hominum, ab ipſa prima creatione; quia creati ſunt cum gratia, fideque infuſa: vel quod ad hæc ipſimet Davidi cognitio prima occurrerit, tamquam obvia maxime, & facillima. Bonum ductum, & quaſi felicem principatum, vel felicis exordium imperii, Apollinarius tranſtulit ἐξευηγεσίης, quaſi vel prima educationis bona initia indicentur; vel initii principatus. Quod primo loco poſui, reliquis præpono.

e Pſ. 110.8. f Pſ. 18.10. g Chryſoſt. h Eſa. 40.8 i Luc. 21.33 k Euthim. & Niceph. l Chryſoſt. Theodoret. Baſil. m Auguſt. Proſp. Arn. Hieron. &c. n Gen. 2.15 17 o cap. 4.10 p Deut. 30. 19 q 1. Cor. 3.12 r Epheſ. 2.20 ſ Rom. 15.4 t Pſ. 76.6 u pſ. 142.5 x verſ. 147

Initio cognovi de teſtimoniis tuis.) Hieronymus *à principio*. Vetus Pſalterium & Ambroſianum, Auguſtinus, Proſper, Arnobius, putatus Hieronymus Caſſiodorus, *ab initio* Hilarius, *in initiis & principiis*. Alii, *pridem*: quod valet קדם *Kedem*, & cetera, quæ retuli, quemadmodum κατ' ἀρχάς. Potuit etiam transferri *ex teſtimoniis tuis*, vel intelligi idem valere *de*, quod *ex*. Ut ſit ſenſus, quod cognoverit hoc, & de ipſis teſtimoniis, nempe ut in æternum fundari, ac ſtabiliri Deus ita voluerit: & ex ipſis, ideſt, dum ipſamet cognovit, illud idem deprehenderit ſcilicet firma eſſe, ac ſtabilia. Sic explicant Græci & nonnulli Hebræi: quod magis inſinuat præpoſitio ἐκ præpoſitio autem מן *min* utrumque.

Quia in æternum fundaſti ea.)Non eſt *quia* cauſſalis particula,ſed exegetica,ſignificans *quod*: nimirum hoc eſſe, quod ſe cognoviſſe dixit de teſtimoniis. Sæpius eo modo transfertur כִּי *chi*: quamvis prima illius notio ſit cauſſalis:& ὅτι, valens per ſe *quod*. Commodè tamen etiam retineri poſſet expreſſio cauſſæ,propterea pridem adjeciſſe animum ad cognoſcendũ de teſtimoniis,ſive teſtimonia; quia digna erant hoc ſtudio, quum ſit adeo firma, rata, certa,immutabilia, ipſamet veritas, ut proximè ante dictum eſt, ac æternæ veritatis ſolidiſſima, fortiſſimaque fundamenta, πισὰ θεμέλια, Apollinarius ait.

RES.

Verſ. 153.) Vide humilitatem meam, & eripe me; quia legem tuam non ſum oblitus.

Verſ. 154) Judica judicium meum, & redime me; propter eloquium tuum vivifica me.

Senſus loci.

NON ſufficit cura, quam quis ponit in comparanda ſibi cognitione divinorum teſtimoniorum,& quod ſit certus ea eſſe veriſſima, atque immutabilia, & quod, quantum in ſe eſt, valet omnino ea cuſtodire. Neceſſarium eſt continuum Dei auxilium ad fulciendam infirmitatem humilis conditionis humanæ, & ad propulſandos hoſtes internos,externoſque,qui omnibus modis humiliant,& vexant atque ad legis prævaricationem ſollicitant,ac pertrahere nituntur. Opem divinam adverſus iſtos implorat in hoc octonario; in iſtis autem duobus verſibus,ut illam impetret, utq; dignetur Deus cauſſam illius ſuſcipere,& per judiciariam ſententiam redimere, ſive liberare, & veluti vitam reſtituere; proponit eidem Deo,tùm quod memoria retineat legem ipſius,& de illa ſedulò cogitet, quamvis non ita perfectè cuſtodiat: non enim decere, ut obliviſcatur Deus eorum qui non obliviſcuntur illius:tùm ipſiuſmet Dei promiſſionem de opitulando invocantibus ſe, atque de reddendis præmiis,& ſuppliciis,juxta cujuſque meritum. Anaſtaſius hæc,ſicut & reliquum pſalmum, dici vult ex perſona captivorum C in Babylone, ubi dura ſervitute humiliabantur, & oppreſſi pro ſe loqui cauſſamve ſuam tueri nequibant. Favent quæ apud Jeremiam *a* dicit Deus,*Calumniam ſuſtinent filii Iſrael,& filii Juda ſimul;omnes, qui cœperunt eos, tenent,nolunt dimittere eos.Redemtor eorum fortis,Dominus exercituum nomen ejus, defendet cauſam eorum, ut exterreat terram, & commoveat habitatores Babylonis. Gladius ad Chaldæos*, &c. Proſequitur duriſſimam comminationem contra eoſdem Chaldæos, & Babylonios oppreſſores populi ſui. In Threnis *b* quoque deplorans orat,*Vide Domine, quoniam tribulor*, &c. Sed argumentum pſalmi, præſenteſque ſententiæ multo latius patent, Auguſtinus, Proſper,aliique humilitatem liberandam docent per legem illam immobiliter fixam, ut *exaltans ſe humilietur, humilitans exaltetur* c, ſuperbum malis, ut humilietur, innecti;humilem à malis,ut exaltetur, eripi; idem utroque verſu repeti.Sed humilitas hoc loco potius ad tribulationem ſpectat,quam ad virtutem, ut adnotat Ambroſius; etiamſi de hac Hilarius,& quidam præterea explicent, nec abnuat idem Ambroſius, negans idcirco, cenſendum Prophetam gloriari de ſe, quia bona gloria eſt Deo eſſe ſubjectum, Rectè autem idem affirmat congruere voces iſtas Sacerdoti, pro miniſtri ſalute ſollicito;patri pro filio,fœmina pro filio vel pro viro; Chriſti athletæ pro ſuiſmet tentationibus;Martyri pro tormentis, dum tœdet eum diutius diferri ſacræ mortis coronam, Cohortatur præterea ad humilitatis virtutem, exemplo Pauli *d*, Abrahæ, *e* ipſiuſmet potiſſimum Chriſti *f*, qui & hanc à ſe diſci voluit *g*;ait etiam poſſe verè humilem ſuam humilitatem oculis Dei videndam exponere quemadmodum athleta bonus membra ſua monſtrat, quando poſt aliqua certamina graviora, iterũ certare compellitur,ut Judex videns feſtum corpus,nequaquam eum certare compellat; & ſic etiam Deus videns certaminis agonem, *coronam juſtitiæ* decernat ei, qui legem agonis implevit *h*.

a cap. 50. 33. 34
b 1. 20
c Luc. 14. 11
d 1. Cor. 15. 8 9. 1. Tim. 1. 13 & ſeqq.
e Gen. 18. 27
f pſ. 21. 7 Philipp. 2. 8
g Matt. 11. 29
h 2. Tim. 4. 7. 8
Notio literæ. ר Res.

Res.)Significat,ut ait Ambroſius,*caput*,vel *primatum*; caput vult eſſe formam humani generis conſiderare, ac tueri,hoc eſt,rationem & fidẽ:ſicut ſuum coluber caput, objecta reliqua parte corporis,tuetur; item Chriſtum,in quo omnia conſtant, & eſt caput corporis Eccleſiæ; ne-

A moque poteſt perire, cui non ipſe ſit ſublatus; denique ſummam ſtudii,atq; operis noſtri ſummam negotii, ſummam ſpei, ſummam virtutum, præſertim humilitatis; quemadmodum è contrario ſuperbia ceterorum peccatorum origo eſt, caputve *i*. Primatum conſiderat in populo Chriſtiano,qui velut Jacob prælatus eſt Eſau; minor majori fratri populo Judæo. Addunt alii primatum in eodem capite Chriſto, qui primatum etiam patris ſecum portavit,nempe miſericordiam, quæ eſt *ſuper omnia opera ejus**, & propriæ nos humilitatis primatum docuit. Interpretantur adhuc Vincentius Ciconia & Avendanus,atque in grammatica Zamorenſis, præter geminam illam notionem, quam tradit etiam Hieronymus, pauperem,& mendicum (רש *ras pauper* eſt) cum nempe,qui veluti mendicato vivere coactus ſit, à propria expulſus hæreditate, ideſt, homo propter peccatum Adæ; in hoc autem octonario emendicat humiliter, & ſuppliciter in priſtinam reſtitui hæreditatem,cognitionis Dei,ac juſtitiæ. Revera principium,caputve omnis remedii pro quavis miſeria eſt,Dei opem implorare, ad eum confugere, B illi neceſſitates noſtras exponere,coram ipſo ſe humiliare. Addere potes, ſi vis, venenum, quod ſignificat etiam רוש *ros* per ו *vau holem* aut per א *aleph*, cui punctum ſuperponatur idem valens ראש *ros*, cujus etiam notionis quidam rationem reddunt quia venenum in capite aſpidis eſt. Sic autem *veneni* nomine,tentationes,ac tribulationes intelligerentur, de quibus hìc agitur.

Superbia ceterorum peccatorum origo & caput.
i Eccleſiaſtici 10. 9. 13
* pſ. 144. 9
Principium remedii pro quavis miſeria eſt Dei opem implorare.

Vide humilitatem meam.)Hieronymus,*afflictionem meã* עניי *hhonii* Chaldaicè סגופי *ſigguphi*,quæ certum eſt nõ ſignificare humilitatem virtutis,ſed afflictionis: licèt utramvis Latina vox poſſit indicare,Græcaq; ταπείνωσις ut admonet Ambroſius; de qua re ſæpius dixi. Appollinarius ἀδρανῆ exponit, ideſt, *infirmitatem*; & Euthymius qui ſimile. Tandem de virtute humilitatis nõ modo Latini,ſed etiam adhuc idem Euthimius,præterea Chryſoſtomus,Theodoretus, Baſilius interpretantur. Non raro orat propheta,ut *Deus videat,aſpiciat, reſpiciat* k:& in pſ. 9. l ſimilis noſtræ ſententia eſt; *vide humilitatem meam, de inimicis meis*,in 24. m *vide humilitatem meam, & laborem meum*. Sic etiam Jeremias *n*, ut prius recitavi, *vide* C *Domine*,inquit, *quoniam tribulor*:item o *vide Domine afflictionem meam*, עניי *hhonii*, ταπείνωσίν μου, *quoniam erectus eſt inimicus*:*vide* p *Domine & conſidera, quoniam facta ſum vilis*; præterea Daniel *q*, *vide deſolationem noſtram*. Denotant hæ formulæ petitionem favoris, auxiliique divini benigni, ac benefici aſpectus. Utrumque conjunxit David, & expreſſit alibi *r*, *reſpexiſti humilitatem meam, ſalvaſti de neceſſitatibus animam meam*. Viſionem Dei diſtinguit Hugo, ad *illuminandum* ſ, ad *convertendum* t, ad *liberandum* u, ad *promovendum* x, ad *diſcernendum* y, ad *remunerandum* z, Si humilitatis virtus hæc ſumatur,aptiſſima hæc ratio exorandi, quia *reſpicit Deus* z *orationem humilium*;*nec deſpicit preces eorum* a; *humiliũ, & manſuetorum ſemper ei placuit deprecatio: oratio humiliantis ſe nubes penetrat,& donec propinquet non conſolatur, & non diſcedit,donec Altiſſimus aſpiciat* b: *Excelſus Dominus homilia reſpicit* c; *excelſus, & ſublimis habitans æternitatem,& cujus ſanctum nomen in excelſo,& in ſancto habitat, quum contritio etiam habitat, & humili ſpiritu, ut vivificet ſpiritum humilium, & vivificet cor contritorum* d; D *in humilitate noſtra memor eſt noſtri* e:*populum humilem ſalvum facit* f; *humiles glorificat* g, *qui humiliatus enim fuerit,erit in gloria* h, *humiliare Deo*, ait Sapiens *i*, *& expecta manus ejus*.

k pſ. 83. 10 pſ. 118. 132 pſ. 12. 4. pſ. 21 2. pſ. 24. 16. 18. 19. pſ. 34. 17. pſ. 34. 17. pſ. 39. 14. pſ. 68. 17. pſ. 73. 20. pſ. 79. 15. pſ. 85. 16 pſ. 89 16
l verſ. 14.
m verſ. 18
n Thren. 1. 20
o verſ. 9.
p verſ. 11.
q cap. 9. 18
r pſ. 30. 38
Dei viſionis diſtinctio.
ſ Joan. 9. 6
t Matt. 9. 29
u Exo. 3. 3. 10
x Luc. 1. 11. & ſeqq.
y pſ. 13. 2 pſ. 52. 3
z Gen. 4. 4
a pſ. 101. 18
20. Judith. 9 16.
b Eccl. 35. 21
c pſ. 137. 6
d Eſa. 57. 15
e pſ. 135. 23
f pſ. 17 28
g 4. Reg. 4. toto.
h Job. 22. 29
i Eccl. 13. 9
k Jer. 31. 11

Et eripe me.) Ambroſius,*erue*. Ad hoc petebat Propheta,ut videret Deus. Non ad ſolos martyres reſtringenda cum Caſſiodoro,petitio. Verũm dicit idem auctor, non peti liberationem à virtute humilitatis, cujus eſt inclinis, inquit, & devota profeſſio. Petit David liberari ab humilitate afflictionis, ne ſuccumbat, vel quia cum humilitatis virtute,ac demiſsè res adverſas toleret, ne illæ noceant,lædantve animum, aut conſtantiam debilitent: denique orat *eripi ſe humilem de manu potentis k*,tum Saulis tum aliorum perſecutorum.Sequenti etiam verſu magis exprimit à qua re velit eripi.

Quia legem tuam non ſum oblitus,)Non præcisè intelligit legem de humilitatis virtute,ſed univerſam legem,& ſignificat ſe illud contra illam egiſſe: tum vero,ut notat Euthym. contra præceptum,quo cavetur odium,ac vindicta *l* inimicorum. Duplex ſane ratio ad impetrandam miſericordiam, ſubdi Deo, miſereri proximo: tribulationes immiſſas, vel permiſſas à Deo demiſsè ferre, illatas

l Deut. 32. 43 Rom. 12. 19 Hebr. 10. 30

tas à proximo injurias condonare. Frequenter ingerit in A hoc pſalmo *a*. Vates mentionem de memoria legis,quodque illam non ſit oblitus, aut oblituruſus, ſive ſermones, judicia,juſtificationes,mandata. Memoriam legis Dei, ait Hilar. in humilitatis conſervatione eſſe declarat: ut qui reſervans omnia judicio divino, in nullo adverſum Dei conſtitutiones, adverſum odia humana, adverſum præſentium moleſtiarum patientiam moveretur, nihilque in hoc nunc ſæculo de his judicandum decerneret. Hoc ſequentia continent.

a verſ. 16. 30 61. 83. 93. 1 109. 141. 176

Judica judicium meum.) Hieronymus, *cauſam meam*, Alii,*litiga litem*,ſeu *litigium meum*;*age cauſam meam*,*aſſerere jus meum*; ideſt,ſuſcipe,ac tuere cauſam meam,patrocinare cauſæ meæ. Hæc valent ריבה ריבי *rivah rivi* ac propriè indicant contentionem litis. Alibi dicitur *facere judicium,& cauſam* b ποιῆσαι κρίσιν καὶ δίκην משפט *miſpat*,& דין *din*:& quod habetur *judica* c *Domine nocentes me*.Hebraicè eſt ריבה *rivah*, quod, *diſcerne* d *cauſam meam* ריבה ריבי *rivah rivi*: quod *judica* e *cauſam meam* ריבך ריבה *rivah rivecha*. Coactus eſt, quod ait Remigius & Bruno:*judica judicium meum*,ideſt,judica me pati tribu- B lationes hìc,quod judicium ſit meum,ideſt mihi utile & ſalutiferũ.Paullo meliores expoſitiones Hugonis,judica me judicio diſcuſſionis contra diabolum, qui non habet juſtam cauſſam vexandi,judica accelerando futurum judicium;judica examinando diſcretionem fidei meæ,qua diſtinctè credo articulos fidei. Item putati Hieronymi, *judicavi me nihil ſcire,niſi Jeſum Chriſtum* f: qui ad redẽtionem mundi venire promiſſus eſt:juxta ergo hoc judicium ego à te vivificer in eloquiis tuis. Præterea Bonaventuræ:*judica judicium meum*,quod ego tuli pro concupiſcentia contra rationem & teipſum. Tandem ut judicet Deus judicium,quo quis de aliis judicat,& efficiat,ut rectè,ac iuſtè,non temerè,ac falsò iudicet. Innuit Ambroſ. Idem vero Bonaventura in breviore commentario diſtinguit de judicio inter hominem & hominem, inter hominem, & diabolum, inter hominem & Deum, & inter Deum & diabolum. Forſitan David illud voluit hoc C loco innuere tritum inter eos,qui ſuam innocentiam ſatis probare apud alios non poterant *judicet Deus inter te & me*.Id ipſe olim uſurpaverat Saulem alloquens cui pepercerat,quum haberet in poteſtate *g*.Bene ſibi conſcius ad Deum judicem provocat, & magnæ, ac ſecuræ conſcientiæ voce iſta utitur,judicis ſui judicium poſtulando, ut ait Hilarius;& pœnitens mavult ab eo judicari,& incidere in manus ejus, quam aliorum: quod quum facit, ipſe *ſe judicat, ut Deus non judicet* h, hoc eſt *condemnet*, ſed pro ſe ſententiam ferat. *Nequaquam ultra in hominis erit poteſtate,ut veniat ad judicium* i, nempe quod jam dixi,ut etiam notat Gregorius *k*,per quod juſtificari poſſit, & quod *honor Regis Dei diligit* l,& in quo conſcientia accuſat,ratio judicat,timor ligat,dolor excruciat;idemmet eſt auctor,qui exhibet, reus,qui exhibetur; odit qualem ſe fuiſſe invenerint, inſequitur ſe qualis antea fuit; fit ab ipſo adverſus ſemetipſum quædam rixa in animo,parturiens pacem cum Domino. Tandem *cogitationẽ juſtorum judicia* m *ſunt*, hæc videlicet, quæ deſcribit magnus ille Doctor; & quæ juſti judicanda exponunt ei, qui *judicia*, D *& juſtitias judicat* n.

b pſ. 9. 5
c pſ. 34. 1
d pſ. 42. 1
e pſ. 73. 22
f 1. Cor. 2. 1
g 1. Reg. 24
h 1. Cor. 11. 31
i Job 34. 23
k 25. moral. cap. 6
l pſ. 98. 4
m Prov. 12. 5
n pſ. 74. 3

Et redime me.) *Redimendi* verbum non accipitur ſemper propriè, ut lytri ſolutionem includit, quam præ ſe fert ipſummet Græcum verbum λυτρῶσαι,aut rei denuo emtæ, quam denotat Latinum verbum, & Hebræum גאל *gaad*. Id aliàs notatum. Nihil tamen obſtat hìc alludi ad pretium à Chriſto perſolvendum, jam vero perſolutum,ut Lyrano placet,Caſſiodoro,Haimoni,Hugoni Hilario,qui *venundatos* monet *ſub peccato* o. Explicat Apollinarius ῥύσασθαι,quod eſt ſimpliciter *liberare*, quo modo extat etiam in Illyrico Pſalterio.

o 3. Reg. 21. 22 25. Mach. 1 16. Rom. 7. 14

Propter eloquium tuum vivifica me.) Ambroſius *propter verbum tuum*; Hoc moneo, quia diſtingui aliàs dixi ab Auguſt. *eloquium à verbo, vel ſermone*; quum tamen plerumque ſynonyma ſint. Hieroymus, *in ſermone tuo*. Potuit etiã verti, *ad eloquium, ſermonẽ, verbum tuum* לאמרתך *leimrathecha*, ideſt,ut vivam juxta verbum tuum ut vita mihi concedatur, prout dixiſti, promittendo. Eadem phraſis præceſſit aliquoties *, aut *ſecundùm judicium Dei* p,quod etiam poſtea dicitur *q*,aut quod jam *eloquium vivificaviſſet* *.Propter promiſſi complementu m addit Ritckelius,ut ſit vivificatio ad honorem legis,quæ ſic magis promulgetur & obſervetur;præterea propter bonitatem gratiamque, qua dignatus eſt Deus nobis loqui, ac dare

* verſ. 25. 107
p verſ. 149.
q verſ. 156.
* verſ. 50.

A legem & ſcripturam ſuam. Redemtionem, & iuſtificationem, & vivificationem per Domini ſanguinem. Legiſlatio, omnes ſpiritus prophetiæ, Patriarcharum ſpes, Angelorum voces, totoque in ſæculi tempore eloquii ſermo, ut ait Hilarius teſtatus eſt.

Verſ. 155.) Longè à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.

Senſus loci

EX comparatione cum peccatoribus,à quibus propterea ſalus abeſt longius,quia non exquirunt DEI iuſtificationes & legem,ſed obliviſcuntur, negligunt,violant;conciliare ſibi nititur benevolentiam Dei;ut vivificet ipſum, propter promiſſi ſui eloquium de vita danda iis,qui legem non obliviſcerentur;ſed ſtudioſè eam inveſtigarent,ut exequi exactiùs poſſent;quod ſe feciſſe paullo ante *r* modeſtè ſignificavit. Abſunt longiſſimè dæmones,de quibus Lyranus explicat,ceteriq; damnati,à ſalu- B te, ac ſalus ab illis, quia numquam ad eam pervenient; quidquid Origen. dicere viſus ſit. In hac vita nulli deeſt ſalutis occaſio;ſed qui ſe elongãt à Deo illam proponente ſufficienter, pereũt,*perditque ipſe omnes,qui fornicantur à ſe* ſ,& qui nolunt benedictionem Dei *volentis omnes ſalvos fieri* t quiq; *venit quærere & ſalvum facere, quod perierat* u,ea *elongabitur ab illis* x,& quam quiſque abeſt longè ab exquirenda lege,tam abeſt à ſalute, quoniam ſolus ad *vitam ingredietur qui mandata ſervabit* y *Longe eſt Dominus ab impiis* z,qui abeunt peregrè à ſuo patre *in regionem longinquam* a & à quorum *cordibus ille longè eſt, & à renibus* b;*miſeros facit populos peccatum* c;*dividunt iniquitates inter Deum, & peccatores* d,*perverſæ cogitationes ſeparat à Deo* e;licet appropinquare peccatores velle videãtur,& *quærere de die,in diem Deum, & ſcire velle vias eius, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit,& quæ iudicium Dei ſui non dereliquerit;& rogare Deum judicia* f. Student ſaluti cor- C poris,non curant ſalutem gratiæ, gloriæ, & omnis ſalutis auctorem Deum,Chriſtumq;qui ſalus noſtra dicitur. Ab hac ſalute horrebat Petrus abire,dicens *ad* g *quẽ ibimus? verba vitæ æternæ habes*,& guſtum illius expertus in monte: ibi *eſſe bonum* duxit nec *recedere* h. Typus reproborum,& damnandorum quibus pronunciabitur ſententia terribilis *i*: *ite*, ſeu *diſcedite maledicti*, &c. Cain erat expulſus à Deo,*vagus,profugus* k,tota vita tremebundus. Minatur Deus quod *diſperdet*, *qui avertuntur de poſt tergum ejus*, *& qui non quæſierunt eum, nec inveſtigaverunt eum* l: Item *m*,*derelinquam*,ait,*populum meum & recedam ab eis;quia omnes adulteri ſunt, cœtus prævaricatorum.Venit Chriſtus vocare peccatores* n: & hi *cum publicanis appropinquabant ad eum* o: *& qui erant longè, facti ſunt prope in ſanguine illius* p, & *appropinquantibus ad ſe* per gratiam prævenientem, *appropinquat* q ipſe per majus eiuſdem auxilium: *prope timentes Deum, ſalutare ipſius* r: *pœnitentiam agentibus appropinquat regnum cœlorum* ſ, *longe facit ab iis iniquitates quantum diſtat Ortus ab Occidente* t. Tantam diſtantiam fecit peccatum à Deo, ut niſi Deus ad naturam propinquaret peccatoris,hic ad il- D lũ numquã perveniret.Qui ut pridem ante dixi *u* dicunt Deo *x*, *recede a nobis*,à ſe ſalutem repellunt, & qui refutant eum,*ne regnet ſuper ipſos* y, nec alium *habere ſe regem* profitentur,*niſi Cæſarem*, z niſi creaturã, niſi ſemetipſos. Perſeverantes in peccato, deſperantes, præſumentes,excuſantes,contemnentes,longe ſunt à ſalute: hæque ab iis viciſſim. Non habet veniam ignoratio voluntatis,ait Hilarius,quia ſub ſcientiæ facultate neſcire,repudiatæ magis,quam non repertæ ſcientiæ eſt reatus. Ambroſius ad Judæos hunc locũ applicat, qui recipere ſalutem noluerunt, atq; voluntate ſua a ſalutis ſe gratia ſeparaverunt, dimitti ſibi poſtulantes latronem, *Jeſum* qui ſalus eſt,diciturque ipſo nomine,repudiantes *a*. Conſentit Caſſiod. favetq; Hilarius,docens noſtræ ſalutis ſacramentum per quaſdam præfigurationum notiones expreſſum in vetere lege fuiſſe,ac exquirente deprehendi potuiſſe. Leo *b* ſcribit quod eunte ad locum clarificationis (ideſt, crucis) Domino,& miſericordia ab impiorum tabernaculis exeunte, (quum extra civitatem ductus eſt) impletum eſt, quod hìc habetur: *longe à peccatoribus ſalus*. Erat & quodam modo longe à Petro, & à mulieribus, quæ ſequebantur, *ſtabantque à longè* c,quum Chriſtus raperetur,& crucifigeretur, quia frigide fortaſſis, ac tepide, quamvis nec ille adhuc peccator, quoniam nondum negaverat,

r verſ. 153.
ſ pſ. 27. 27
t 1. Tim. 2. 4
u Luc. 18. 10
x pſ. 108. 18
y Matt. 19. 17
z Prov. 15. 29
a Luc. 15. 13
b Eſa. 29. 13 Jerem. 12. 2
c Prov. 14. 34
d Eſa. 59. 2
e Sap. 1. 3
f Eſa. 58. 2
g Joan. 6. 69
Typus reproborum.
h Matt. 17.
i cap. 25. 41
k Gen. 4. 14 15. 16
l Soph. 1. 4. 6
m Jer. 9. 2
n Matt. 9. 13
o Luc. 15. 2
p Epheſ. 2. 19
q Jacob. 4. 8
r pſ. 84. 10
ſ Matt. 3. 2 4. 17. cap. 10 7
t pſ. 101. 12
u verſ. 151
x Job 21. 14
y Luc. 19. 14 27
z Joan. 19. 15
Ignoratio voluntatis, non habet veniam in Hilario.
a Matt. 27. 20. & ſeq. Marc 15. 11 & ſeq. & Luc. 23. 17. 3 & ſeq. Joan. 18. 39. 40
b ſerm. 10. de Paſſ.
Matt. 26. 58 cap. 27. 55

nec iſtæ peccatrices. Sed quod attinet ad generaliorem ſenſum, Bernardus *a*, explanans verba Cantici Canticorum *b*, *en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, ait, quod ſponſus æqualiter, & indifferenter præſto & ubique eſt, divinæ utique præſentia majeſtatis, & magnitudine virtutis ſuæ gratiæ tamen exhibitione quibuſdam longe, quibuſdam prope eſſe dicitur. Confirmat & præſentis pſalmi teſtimonio, & alterius *c*. *Ut quid, Domine receſſiſti longe?* Docet à ſanctis pia diſpenſatione ad tempus, & non ex toto, ſed juxta aliquid aliquando longe ſe facere; peccatoribus, quorum *aſcendit ſuperbia ſemper* d, *inquinatæque ſunt viæ in omni tempore* e, ſemper, valdèq; longè eſſe. *Vox clamantis* Joannes fuit *f*: clamavit & Chriſtus *g* & quidem *valido clamore* h: debetque Prædicator clamare abſque ceſſatione, ac *exaltare vocem, annunciando populo ſcelera eorum* i: quoniam longè ſunt à ſalute, longè ab iis ſalus, *à lege longè facti ſunt* k. De his, quæ procul diſtant, judicium ferre rectum non ſolet, præſertim ſecundùm quantitatem, qualitatem, figuram. Videtur enim Sol vix pedem excedere, vela navis, quæ ſunt alba, apparent nigra: turres cenſentur rotundæ, quum ſint quadratæ. Sic à quibus longè ſalus, gratia, gloria eſt, non æſtimant quam magna, & ingens abſcondita ſit *multitudo dulcedinis divinæ* l; *quam magna domus Dei, ingenſque locus poſſeſſionis ejus* m; præterea quam ſit excellens munus gratiæ & gloriæ, ita ut *nec in cor hominis aſcendere* naturaliter poſſit *n*: denique quod *civitas Dei* non ſit rotunda, mobilis, volubilis, ſed *in quadro poſita* o.

a ſer. 56. in Cant. b cap. 2. 9. c Pſ. 10. 1. ſecund. Hebr. d Pſ. 73. 23. e Pſ. 10. 5. f Joan. 1. 23. Matt. 3. 3. Marc. 1. 3. Luc. 3. 4. g Matt. 27. 46. 50. Marc. 15. 39. Joa. 7. 28. 37. cap. 11. 43. cap. 12. 44. De procul diſtantibus rectum ferri judicium non ſolet. h Hebr. 5. 5. i Eſa. 58. 1. k Pſ. 118. 150. l Pſ. 30. 20. m Baruch. 3. 24. n Eſa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9. o Apoc. 21. 16.

Longè à peccatoribus ſalus.) Hieronymus, *ab impiis*. Sic verti poſſunt, רשעים *reſciahhim*; aut *rebelles, contumaces* inſigniter *ſcelerati, inquieti*; cui poſtremæ notioni aptè convenit ſalutis diſtantia: quia ſcilicet in perpetuo veluti motu, & agitatione ſunt malè agendo, atque à lege, & legiſlatore recedendo: quum ſit *in pace locus DEI* p, & *requieſcat ſuper quietem ſpiritus ejus* q. Deſcribit impios hoc Hebræo nomine, Græcoque ἀσεβῶν, Sapiens *r*, *non dormientes, niſi quum male fecerint, non capientes ſomnum, niſi ſupplantaverint*. Et Eſaias *ſ*, *quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundat fluctus ejus, & non eſt pax illis*. Nomen ſalutis eſt ישועה *ieſciuhhah*, unde nomen *JESU*. Is abiit, & abſcondit ſe à Judæis *x* reprobis; ſed à diſcipulis *finxit* tantum *ſe longius ire* y. Putat Genebrardus imprecandi formulam hic eſſe; procul ſit à peccatoribus ſalus, ac defenſio tua, quod tuam legem non ſectentur. Admitti poteſt; quamvis abſque alio auctore, quod ſciam.

p Pſ. 73. 3. q Eſa. 66. 2. r Prov. 4. 16. ſ cap. 57. 20. 21. x Joan. 8. 59. cap. 12. 36. y Luc. ult. 28.

Quia juſtificationes tuas non exquiſierunt.) Hieronymus, *quia præcepta tua non quæſierunt*. Nec in *juſtificationum*, & δικαιωμάτων vocabulo per ſe vis fieri neceſſario debet, quamvis poſſit, & ſi fiat, ſperni non debeat: nec in *exquirendi* compoſito verbo, & ἐκζητεῖν quaſi augeant quærendi diligentiam; vel Latinum denotet ex corde quærere, ut Hugo tamē obſervat. *Beatos* audivimus prius in illo pſalmo, *qui in toto corde exquirunt Deum* z; ipſe quoq; David affirmavit ſe *in toto corde Deū exquiſiviſſe*; & ideo petiit *non repelli à mandatis ejus* a, in quibus nimirum ſalus poſita eſt: eadem de cauſſa, quod *exquiſiviſſet Dei teſtimonia*, oravit *à ſe auferri opprobrium, & contemptum* b; atque præterea *ſalus fieri* c; affirmavit ſe propterea *ambulaſſe in latitudine, quia mandata exquiſiverat* d, *ſuper ſenes intellexiſſe, quoniam eadem quæſiverat* e; (ubi eſt idem verbum Græcum, ſed aliud Hebræum) hanc unam rem factam, & plurimi æſtimatam à ſe, nimirum legem, *quia juſtificationes exquiſiverat* f: rurſum precatus eſt *poni ſibi legem juſtificationum* pollicens *exquiſiturum ſe illam ſemper* g. Quid mirum, ſi nunc longè à peccatoribus aſſerat ſalutem eſſe, quia non exquiſiverint juſtificationes Dei, & ut ante *h* dictum eſt, *à lege longè facti ſunt, à qua* ipſe *non declinaverit* i. *Quærendus Dominus, dum inveniri poteſt, invocandus, dum propè eſt* k. *Nolunt* aliqui *intelligere, ut benè agant* l, *& ſcientiam viarum Domini nolunt* m; omni ſtudio inveſtiganda ratio, & modus, quo juſtificari poſſimus, & conſequi ſalutem, quæ eſt ſcientia Sanctorum, per quam ſolam pervenitur ad regnum Dei. Huc referri ſtudia debent omnia, curæ, labores, quos conferunt mortales in acquirenda peritia cujuſvis artis, facultatis, ſcientiæ.

z verſ. 2. a verſ. 10. b verſ. 22. c verſ. 94. d verſ. 45. e verſ. 100. f verſ. 56. g verſ. 33. h verſ. 150. i verſ. 51. k Eſa. 55. 6. l Pſ. 35. 4. m Job 21. 14.

Verſ. 156.) Miſericordiæ tuæ multæ, Domine, ſecundùm judicium tuum vivifica me.

Quod ego non ſim legē oblitus, ac proinde, ut ſpero, ſalus à me longe non ſit, quemadmodum à peccatoribus, quibus illa curę non fuit, non meis imputo viribus nec ignoro eoſdem illos ad meliorem redire mentem poſſe, atq; ſtudioſius in legem incumbere, quam ego fecerim; ut idcirco nolim temerè de illis judicare *n*: quia miſericordię tuæ multę ſunt, Domine, quas, ut mihi, ſic illis paratus es conferre. Miſericordias tuas erga me multas agnoſco, atque, ut ſecundùm judicium, conſuetudinem, promiſſionem, qua miſericorditer tractas eos, qui illis reſpondent, ac te imitantur, in exhibendis etiam adverſus alios miſericordiis; & legem tuam diligunt, qua tecum amari vis & proximum, quæſo ut meipſum judicare digneris ſicque vivificare, ut gratiæ vitam conſervem, & gloriæ vitam demum perveniam. Nam pendet vita mea tota, tum præſens, tum futura ex judicii, ſeu legis tuæ memoria, intelligentia, cuſtodia. De multiplici miſericordia Dei, deque ipſius intentione, & continua quadam duratione, egi non ſemel in hoc opere, opponens eidem noſtram exiguam, anguſtam, cito prætereuntem, ad inſtar *nubis matutinæ, & roris mane pertranſeuntis* o. Jubebat filium Tobias, quantum poſſet eſſe miſericordem *p*: & Apoſtolus *q*, *ut indueremus viſcera miſericordiæ*. Actū præterea alibi de perefrequenti conjugatione in Scripturis divinis miſericordiæ, atque judicii, ſive juſtitiæ. Hoc loco multis miſericordiis copulatur judicium, & hoc illis, & per hoc illæ veluti temperantur, menſurantur, ponderantur, trutinantur, ut expendit Ambroſius, citans ex Eſaia *r* ſecundùm LXX. *Miſericordia ejus in ſtateras*: quod ibi eſt in prima perſona, ἡ ἐλεημοσύνη μου εἰς σταθμούς, quod Interpres vertit una cum prioribus verbis, *& ponam in pondere juſtitiam, & juſtitiam in menſura*. Sed obſervavi nomen *juſtitiæ* ac צדק *tſedek* reddi non raro per ἐλεημοσύνην atque *miſericordiam*. Ergo ſi nunc oraret David, ne præſumere videretur una cum miſericordiis multis vivificari ſecundūm judicium; quia ſciret à miſericordi Deo exigi ſimul tamquam à judice, propria cujuſque merita, per miſericordiam & gratiam ejus facta.

Senſus loci. n Ambroſ. o Oſeæ 6. 5. p Tob. 4. 1. q Coloſſ. 3. 12. r cap. 28.

Miſericordiæ tuæ multæ, Domine.) In Romano Pſalterio, ac in vetere, & Ambroſiano, apudque Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Proſperum, putatum Hieronymum, Caſſiodorum, & in textu Hieronymi, quem recitat Trevetus, *miſerationes tuæ*, οἱ οἰκτιρμοί σου, רחמיך *rachameKa*. Alibi dicitur, *multitudo miſericordiæ* ſ: *miſerationes & miſericordiæ* t, *miſericordia & miſerationes* u, *à DEO multiplicata miſericordia* x, *magna miſericordia, & multitudo miſerationum* y; denique *miſerationes ſuper omnia opera Dei*: z Non ita ira, vel juſtitia Dei ſolet multiplex appellari, licet quandoque plurali numero *juſtitiæ* reperiantur *a*: & negari videantur quemquam eſſe, qui noverit *iram Dei dinumerare* b. Simplex eſt quodlibet attributū Dei, immo eſſentia ipſa, in qua propter imbecillitatem intellectus noſtri, diſtinguimus attributa. Ratione varii effectus unūquodque attributum concipitur velut multiplicatum: ſed miſericordia maxime, quia plura illius effecta elucent, magiſque diverſi modi: & quoniam quęvis demum ſit in nobis juſtitia, meritum ve, miſericordia ſemper locum priorem obtinet, ac *ſuperexaltat judicium* c, quod fit de illis, atque ultra condignum præmiantur: non illa ipſa juſtitiæ opera ſufficiunt ad perfectæ beatitudinis meritum, ut ait alibi Hilarius *d*, quem citat & Auguſtinus *e*, niſi miſericordia DEI etiam in hac juſtitiæ voluntate humana, humanarumque demutationum, & motuum non reputet vitia: ut propterea *melior ſit miſericordia Dei ſuper vitam* f, nempe quamlibet juſtam. Tandem Ambroſius hoc loco proferens Apoſtoli *g*, ſententiam, quod *ſunt indignæ* (non *condignæ*) *paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*: concludit, quod non ſecundùm merita noſtra, ſed ſecundùm miſericordiam DEI cœleſtium decretorum in homines forma procedit.

ſ Pſ. 5. 8. t Pſ. 24. 6. u Pſ. 102. 4. x Pſ. 35. 8. y Pſ. 50. 3. 4. Pſ. 68. 17. z Pſ. 144. 9. a Pſ. 10. 7. Pſ. 17. 23. Pſ. 18. 9. Pſ. 49. 16. Pſ. 88. 32. Pſ. 147. 19. Attributa Dei ſimplicia ſunt. b Pſ. 89. 11. c Jacobi 2. 1. d in Pſ. 51. e 2. cont. Julia. cap. 8. f Pſ. 62. 8. g Rom. 8. 18.

Secundùm judicium tuum vivifica me.) Hieronymus, *juxta judicia tua*. Et ita etiam legit Ambroſius in Commentario, atq; Aquila κρίσεις: qui numerus pluralis extat etiam Hebraicè, כמשפטיך *chemiſpateka*; ſed ablato penultimo י *jod*, erit ſingularis: quo pacto legerunt LXX. Plura judicia reſponderent multi, miſericordiis. Quid tem valeat hic nomen *judicii*, ac *vivificandi* verbū, ſatis conſtat ex paullo ante dictis, & alibi. Eadem ſententia præ-

præceſſit verſu 149. Ambroſ. obſervat non hìc agi de judicio, quo fragilitatis noſtræ æſtimatione cenſemur, & in quod ut Deus *non intret cum ſervo ſuo* orat in alio Pſal. *a* David, etiamſi in hoc judicium cum miſericordia copulatum ſit, ut veritas judicii miſeratione Domini temperetur; ſed de judició beneficiorum Dei, cui reſpondere non poſſumus, nec debitum referre naturæ, ſaluti, gratiæ. Gloſſa etiam docet non eſſe illud judicium, quod omnes timent; ſed quod in præſenti parcit confitentibus; quamvis & illud non erit ſine miſeratione, ut ait Auguſtinus.

a Pſ. 142. 2.

Verſ. 157.) Multi, qui perſequuntur me, & tribulant me, à teſtimoniis tuis non declinavi.

Neceſſariæ mihi ſunt, Domine, miſericordiæ illæ tuæ multæ, utque me vivifices, in vita conſerves, reficias, recrees; quia multi hoſtes viſibiles, plures inviſibiles inſidiantur vitæ meæ, ut corporalem eripiant, ut ſpirituali, quæ conſiſtit in gratia, privent; ut æternæ conſequtionem impediant: nec tamen propterea per miſericordias eaſdem tuas adhuc adjutus, declinavi vel ad ſiniſtram, à tuis teſtimoniis, ſive præceptis. Quamvis me in arctum compulerint perſequtores, infelicius putavi declinando à mandatis tuis, declinare pericula, & afflictiones, quam has pati in horum cuſtodia firmiter, & conſtanter perſeverando. *Multas* oportet eſſe *tribulationes juſtorum* b, nec niſi *per multas intrari* poteſt *in regnum cœlorum* c, & *omnes, qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſequtiones patiuntur* d; & Deus ipſe *oſtendit*, ideſt, experiri facit, ſuis *tribulationes multas, & malas* e. Non eſt magnum, ait Ambroſ. ſi tunc à Dei teſtimoniis non declines, quum te nullus affligit, nullus perſequitur; ſed proſperorum tibi eventuum ſecundant ſucceſſus, quum divitiis affluis, quum jugi ſalute robuſtus es, quum *te*, ut Jobum, *vallat Deus* f. Exemplum quoque profert Sebaſtiani martyris, qui Mediolano, unde, inquit, oriundus erat, (matre ſcilicet natus Mediolanenſi, licèt patre Narbonenſi) & unde fortaſſe jam diſceſſerat perſequtor, aut adhuc eo non venerat, aut mitior erat, Romam diſceſſit, ubi propter fidei ſtudium perſecutiones acerbæ fervebāt. Docet præterea, non hos ſolùm perſecutores eſſe, qui videntur, ſed etiam qui non videntur, & multo plures. Sicut enim unus perſequtor Rex multis perſequtionis præcepta mittebat, & per ſingulas vel civitates, vel provincias erant diverſi perſequtores: ita etiam diabolum multos miniſtros ſuos dirigere, qui non foris tantum, ſed etiam intus faciant perſequtiones in animis ſingulorum; nempe per ſpiritum fornicationis, quam quia perſequitur, fugiendam Apoſtolis monet *g*, per ſpiritum avaritiæ, ambitionis, luxuriæ, ſuperbiæ: qui ſunt perſequtores graves, & ſine gladii terrore mentem hominis frequenter elidunt, & illecebris magis, quam terroribus animos expugnant fidelium, & graviores hoſtes, ac tyranni ſunt, per quos Adam captus eſt; & multi occulta hac perſequtione ceciderunt, qui in perſequtione publica coronati fuerant. Idipſum probat tùm Pauli verbis de pugnis, quæ ſunt foris; & de timoribus, qui intus *h*; tùm exemplo, qui fluctuabat, hærebat, adſtringebatur, captivari ſe aſſerendo in lege peccati, & mortis corpore debellare; nec potuiſſe evadere, niſi Domini Jeſu gratia liberaretur *i*. Ponit item Chriſti exemplum à diabolo tentari k, non tantum externas perſequtiones paſſi. Poſtremo, non dubitat reſiſtentem ſpiritui fornicationis avaritiæ, ſuperbiæ martyrem, ac teſtem Chriſti nominare, propter *teſtimonium conſcientiæ* l; quum è contrario quidam *fatentes*, verbo, *factis negent* m; ac tametſi dicant, *Domine, Domine*, rejiciantur; *quia ſunt operarii iniquitatis* n: velutique ante Regem peccati producti, cedunt: & id *in ſuo mortali corpore* ſinunt *regnare* o. Exſtant apud Auguſtin. *p* alibi talia; ſed & hujus loci verba Chriſto attribui poſſe ait, quem adverſarius perſequatur in nobis: ita ut ſi declinemus perſequentem, abjiciamus Chriſtum, & rejiciamus defenſorem: qui, *ſi ſit pro nobis, non eſt qui contra nos quidquam valeat* q. Non eſt aut locus, aut opus, aut operæ pretium omnium enumerare perſequtorum, atquè tribulationum multitudinem, quorum præcipui duces tres, mundus, caro, dæmonia, qui diverſa movent prælia: vel *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ* r. *Audiit* juſtus *contumelias multorum, & terrorem in circuitu: perſequimini, & perſequamur eum ab omnibus viris, qui erant pacifici ſui* ſ. Carnis typus Dalila *t*, mundi Laban *u*, diaboli Saul perſequens Davidem ex invidia; vel iſte mundum præfiguravit, quem David patientia ſuperavit: Golias diabolum, qui jugulatus eſt; diabolo namque reſiſtendum *x*: Abſalom carnem, quia ſicut cum fugiendo David evaſit, ita fugere fornicationem oportet *y*. Experitur non raro etiam juſtus perſecutionem à parentibus, affinibus amicis *ſuntque inimici domeſtici ipſi* z; & *frater* ſæpe *ſupplantat, atque amicus fraudulenter incedit* a. Perſequtores quoque ſunt tyranni, hæretici, ſciſmatici, infideles, peccatores alii. Eccleſiæ perſequtiones ſub tyrannis poſſent hic commemorari: & ceteris nunc indicatis adjungit Hugo falſos fratres advocatos qui pacem Eccleſiæ perturbant; Prælatos, qui eamdem Eccleſiam confundunt. De omnibus poteſt id Eccleſia uſurpare, & quilibet juſtus; b *inimici mei vivunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè*. De martyribus Chryſoſt. Auguſtinus, Proſper, Caſſiod. & alii accipiunt. Factum eſt, ait Auguſtinus; novimus, recolimus, agnoſcimus. Purpurata eſt univerſa terra ſanguine martyrum, floret cœlum coronis martyrum, ornatæ ſunt Eccleſiæ memoriis martyrum, inſignita ſunt tempora natalibus martyrum, creſcunt ſanitates meritis martyrum. Ceterum non debet nos multitudo terrere adverſariorum, quia *plures nobiſcum* c; *nec eſt Domino difficile ſalvare in multis, vel in paucis* d; & confidendum, quia *vicit Chriſtus* e, per *quem dat nobis Deus victoriam* f: *& ſicut abundant paſſiones in nobis, ita, & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra* g.

Senſus loci. b Pſ. 3. 20. c Act. 14. 21. d 1. Tim. 3. e Pſ. 70. 20. f Job. 1. 10. g 1. Cor. 6. 15. Avaritia, ambitio, luxuria, ſuperbia, perſecutores graves. h 2. Cor. 7. 5. i Rom. 7. 24. 25. k Matt. 4. 1. & ſeqq. l 2. Cor. 1. 12. m Tit. 1. 16. n Matth. 7. 23. o Rom. 6. 12. p ſer. 26. de vera. Apoſt. ſerm. 25. de temp. Ep. 145. q Rom. 8. 31. r 1. Joa. 2. 16. Perſecutorum, ac tribulationū duces tres. ſ Jer. 20. 10. t Jud. 16. 8. 10. u Geneſ. 37. ſeto. Graviſſimorum perſecutorum, carnis, mundi, diaboli, & qui fuerint typi. x Jacobi 4. 7. 1. Petr. 5. 9. y 1. Cori. 6. 15. z Mich. 7. 6. Mat. 10. 36. a Jer. 9. 4. b Pſ. 17. 10. c 4. Reg. 4. d 1. Reg. 14. 6. e Joa. 15. 33. f 1. Cor. 15. 57. g 2. Cor. 1. 5.

Multi, qui perſequuntur me, & tribulant me.) Hieron. *& affligunt me*, Ambroſ. *perſequentes me, & tribulantes me*. Nomen רבים *rabbim*: Vatablus exponi putat poſſe pro *fortibus, & robuſtis*. Favet quidem una ex notionibus nominis Hebræi: ſed multos perſequentes, ac tribulantes opponi credibilius miſericordiis multis in priore verſu, quæ dicuntur etiam ibi רבים *rabbim*.

A teſtimoniis tuis non declinavi.) Nam *maledictos* prius *h*, cecinit, *qui declinant à mandatis Dei; & ſe non declinaſſe à lege* i, vel *à judiciis divinis* k; quamvis ſuperbi iniquè agerent uſquequaque, ideſt, ut exponit Hieron. deriderent eum nimis: quod eſt genus perſequtionis acerbiſſimum, quodque homines maxime declinare, atque diffugere ſolent, ac propterea, ne pateant aliorum deriſioni, à Dei potius declinare mandatis, & ea transgredi. Videtur ducta comparatio ab iis, qui ne in anguſtias ab hoſte redigantur, deflectunt, declinantque à via, eoque illuſo ab illo ſe eripiunt. Id ſe negat David feciſſe: nec ut Hilarius loquitur impulſum, vel motum eſſe, ac ne quidem declinaſſe atque deflexiſſe: ſed in mandatis Dei permanſiſſe. *Fideli uſque ad mortem datur corona vitæ*. l

h verſ. 21. i verſ. 51. k verſ. 102. l Apoc. 2. 10.

Verſ. 158.) Vidi prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt.

Senſi ſanè perſequtiones, atque tribulationes, ac magnam ex eis pro me utilitatem percepi, ut firmius, & ſolidius confirmarer in teſtimoniorum, ſeu præceptorum tuorum cuſtodia: ſed non potui, quin angerer animo, vehementerque diſcruciarer, ob perſequentium, & tribulantium me ſpirituale præſertim damnum, à quibus videbam longe ſalutem eſſe, quod eloquia tua non cuſtodiebant, à teſtimoniis tuis declinabant, juſtificationes tuas non exquirebant: legem tuam prævaricabantur: illam nominatim, qua injunxiſti amorem proximi, & omnem illius injuriam prohibuiſti. Non mea mihi dolet afflictio, ſed tua, Deus offenſa, pactique tui violatio turpis, & fœderis indigna tranſgreſſio. Geminæ aliæ ſententiæ cum iſta jam ante occurrerunt *m*: *defectio tenuit me pro derelinquentibus legem tuam* n: *tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei*: & in Pſ. 138. o *ſuper inimicos tuos tabeſcebam*. Beatos Ambroſius cenſet ſic tabeſcentes in hac Dei charitate, non propter vitioſos amores: pecuniam, honores, & ſimilia. Quiddam tale feciſſe Dominum notat Hilarius, quum ad impietatem Jeruſalem, illacrymavit *p*: & Apoſtolum, quando ſuper impœnitentes flevit *q*, & *quopiam ſcandalizato uſtus eſt* r. Jeremiam Chryſoſtomus addit, ob populi flagitia in lacrymis, & mœrore verſatum. Nos locis illis meminimus de aliis. Addi adhuc poſſunt *conſervi illi valde contriſtati*, ob illum, qui debitorem conſervum adeo male tractabat *ſ*. Idem vero Chryſoſt. tales nos eſſe oportere admonet, ſimulque coarguere peccantes, & ob-

Senſus loci. m verſ. 53. n verſ. 139. o verſ. 21. p Luc. 19. 41. q Phil. 3. 18. r 2. Cori. 11. ſ Mat. 18. 31.

& obſecrare, ut converti eos facientes, animam ſalvemus ex morte, *& operiamus multitudinem peccatorum a*: quod ſi nihil proficimus, ab illis ſejungamur, ut Paulus præcepit *b*. Piam iſtam triſtitiam nominat Auguſt. *c*, etſi dici poteſt, beatam miſeriam, vitiis alienis tribulari, non implicari, mœrere, non hærere, dolore contrahi, non amore attrahi: hanc perſecutionem pati viventes, idque tanto amarius, quanto interiùs. De zelo Prælatorum ſecundùm affectum, ſollicitudinem, condeſcenſionem agit hoc loco Grevæus *d*. Certè Prælatus bonus, immò magiſtratus quilibet, & quivis juſtus zelo divino plenus, velut ex affectu paterno pro animabus aliorum, tamquam *filiorum colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera ejus e*. Eodem ſpectat commiſeratio calamitatum, quas patiuntur prævaricantes, & horror quidam quo concutitur eas conſiderans. Beda hoc innuit loquens de primis prævaricantibus; fortaſſe de veteribus exemplis, tùm vero primorum parentum.

a Jacob. 5. 16. 20. b 1. Cor. 5. 11. 2. Theſſ. 3. 6. c epiſt. 145. d ſerm. 27. 10. e Eccl. 30. 7.

Vidi prævaricantes.) Apud Victorium, Fabrum, Trevetum, Hieronymum, *prævaricatores tuos*. In Bibliis Regiis eo modo, quo in translatione noſtra. Non eſt in Hebræo textu pronomen affixum, ſed ſolum בגדים *bogedim*; quos alii *perfidos* interpretantur, aut *fallaces, fraudatores, perfide agentes, pactum tranſgredientes, mentientes ei, qui ipſi fidebant; reprobatores, iniquè agentes*, quod ultimum habetur pſalmo 24. *f* In Pſalterio Romano & Ambroſiano, apudque Hilarium, Ambroſium, Proſperum, Arnobium putatum Hieron. Caſſiodor. *non ſervantes pactum*, quæ translatio bene cum dicto cohæret Hebræo participio: & cum Græco ἀσυνθετοῦντας, quo uſi ſunt Aquila, Theodotio, VI. editio; nec non cum alio, quo Symmachus ἀθετοῦντας *deponentes*, id nempe quod jam conſtituerant & promiſerant, Chaldaicè בזוזי *bazoze direptores*. Hilarius, & quem vocant Hieronymum, alludi volunt ad promiſſum à populo factum de lege facienda & implenda *g*: Vetus Pſalterium, & Auguſt. habent, *inſenſatos*, qui ſignificantur per ἀσυνετοῦντας. Hoc etiam reperio in textu Euthymii & Nicephori, licèt iſte interpretetur per ἀθετεῖν. Apollinarius illo alio modo, qui eſt LXX. legiſſe ſe declarat.

f verſ. 3. g Exod. 24. 7.

ἀφροσύναις θερχ᾽ποντας ἰδών
Stultitia ſervos videns.

Meminit Ambroſius eorum, qui legunt ἀσυνετοῦντας *inſipientes, non intelligentes*. Auguſtinus refert plurium eſſe translationem, quæ *non obſervantes pactum* ponit. Sed qui pactum, inquit, interrogando, non obſervaverunt, niſi qui declinaverunt à teſtimoniis Dei, tribulationes multorum perſequentium non ferentes? Hoc eſt autem pactum, ut qui vicerit, coronetur. Tales qui vocabantur lapſi, quos deflet potiſſimùm Cyprianus, etſi revertentes vult recipi, ut ſanè debent: quidquid Novatiani, & alii contradixerint. De zelo, quo David hos prævidens, aut alius in ejus perſona, tabeſcebat non ex livore, ſed ex amore, verba ſequentia explicat idem Auguſtinus.

Et tabeſcebam.) Hier. *mœrebam*, אתקוטטה *ethKotatab*, quod alii vertunt, *tædio affectus ſum*, vel *abhorrui, perturbatus ſum; me diſcruciavi, mihi ipſi diſplicui*, vel *contendi*, ſive *litigavi, & certavi*, ideſt ferre non potui, plus contentionis ac litis habui cum iſtis violatoribus legis hac ipſa de cauſſa quod legem violarent, quam quod eſſent mihi nocumento. Idem verbum eſt in pſalmo 138. *h ſuper inimicos tuos tabeſcebam* אתקוטט *ethKotat*. Paraphraſtes ibi transfert, *ego nauſea afficior* אנא מרגג *ana meragheb*, licèt Nebienſis reddat, *ego certavi*; hoc autem loco עמהון אתדנת *ithdaneth himmehon: certavi cum eis*, Hebræum verbum eſt à קוט *Kut, abjicere, repellere, abominari, contendere, litigare*: item *excidi, ac diſſecari præ moleſtia, idq; cum tædio, languere, dolore*; unde קטטה *Ketatah, lis contentio, rixa jurgium*; & in pſ. 94. *i proximus fui*, aliter, *offenſus* προσώχθισα אקוט *akut*, quod etiam redditur ab aliis, *contendi fui in contentione, litigavi cum faſtidio & odio abominatus ſum, & averſatus, pertæſus, mœrore diſſectus, affectus moleſtia*: Chaldaicè מאסת *meaſeth, litigavi*, &c. Tandem omiſſis aliis locis, in Job *k*: *tædet animam meam vitæ meæ* dicitur, Græcè κάμνω τῇ ψυχῇ μου.; Hebr. נקטה *naKetab*, quod modis dictis exponi poteſt. Chaldaicè יתגזת *ithgazzeth, exciſa eſt*, vel *crudelis facta eſt*, nempe quaſi ſæviens in ſeipſam, ſeſeque diſcrucians, & diſſecans, hoc eſt, actum eſt de vita mea, perinde eſt, ac ſi ſim planè mortuus, &c. Quod in Ezechiele *l* legimus, *diſplicebunt ſibi ſuper malis, quæ fecerunt in univerſis abominationibus ſuis*; expreſſum eſt verbo נקוטו *naKotu*; Caldaicè ידנקון *idneKun*: Græcè κόψονται κατὰ πρόσωπον ἑαυτῶν *plangent ante faciem ſuam*: aut juxta emendatos codices, κόψονται πρόσωπα αὐτῶν, *percutiens facies ſuas*; item, *diſplicebitis m vobis in conſpectu veſtro in omnibus malitiis veſtris, quas feciſtis* נקטתם *nekotom*. Caldaicè תדנקון *tibiddanekua, gemitis*, κόψεσθε τὰ πρόσωπα ὑμῶν, *percutieti. facies veſtras*. Utrumque valet κόπτεσθαι & *percutere*, & *plangere*, quod fit interdum cui ſui ipſius percuſſi me. Priore loco apud Ezechielem juxta primam lectionem indicatur fletus cum impoſitione manus ante faciem, ſive oculos, quod factitant gravi dolore preſſi. Sed nullum auctorem Hebræum legi, qui, quod aſſerit Agellius hoc loco, doceat Hebræo verbo, de quo egimus, ſignificari, quum quis indignitate, aut fœditate rei permotus, frontem ferit. Forſitan quo tempore vivebant LXX. hanc notionem habebat ib verbum. Quæ autem diximus, vehementiam zeli optime declarant in Propheta noſtro, & indignationis ac doloris magnitudinem adverſus prævaricatores legis, pactique divini: recteque per τήκεσθαι, & verbum *tabeſcendi* ab interpretibus expoſitum eſt. Acutè Bonaventura diſtinguit tabeſcentem qui corripitur, qui conteritur, qui compatitur: primi cor eſſe frigidum, ſecundi tepidum tertii calidum.

h verſ. 21. i verſ. 10. k cap. 10. 1. l cap. 6. 9. m cap. 20. 43. κόπτεσθαι notio. τήκεσθαι Tabeſcentis diſtinctio.

Quia eloquia tua non cuſtodierunt. Hieron. *verbum tuum*, quod etiam nunc ſingulariter ponitur אמרתך *imratheka*; ſed pro hoc legerunt LXX. in plurali אמרתך *imrotheka*. Ambroſius, *verba tua*, Arnobius, *juſtitias tuas*.

Verſ. 159. (Vide quoniam mandata tua dilexi Domine, in miſericordia tua vivifica me.

Senſus loci.

Affirmat ſuum illum zelum, quo contabeſcebat & deficiebat videns prævaricantes, Deiq; non cuſtodientes eloquia: ex horum & Dei amore proveniſſe; idcirco æquum ſibi videri, ut etiam Deus videri dignetur dictum zelum & amorem: & nihilominus non pro meritis propriis, ſed pro benignitate, atq; miſericordia Dei petit ab eo, ut vitam tribuat, liberando à periculis corporis & animi, hujus præſertim: largiendo notitiam præcipuè practicam totius legis & mandatorum: communicando vim eadem exequendi & alacriter in eo ſtudio, curaque omnem vitam tranſigendi, quoniam aliter vivi rectè non poteſt. Denique *diligens diligi* orat *n*, & quod in ſe eſt, *Deum glorificans*, ſive *honorans ab ipſo glorificari o*. Non ſatiatur verus Dei dilector, ac legis ipſius, hanc dilectionē commemorare; & tantum non dicere, quaſique Dei conſcientiam interroganti reſpondere *p*; *tu ſcis quia amo te*; nec enim ter ſolum id repetit; ſed inculcat in hoc pſalmo decies *q* numero reliquorū perfectiſſimo, & abſolutiſſimo, quique veluti reſpondeat Decalogo. Sed & vivificationē crebò enixius flagitat, intelligens potiſſimùm de vita gratiæ & gloriæ, videlicet totidem vicibus *r*, quot ſunt beatorum ordines Angelorum & ſpirituum humanorum, vita viventium divina, & Deo fruentium, qui cōplementū eſt omnis numeri, utque præmium reddi intelligatur decalogo obſervationi. Magna confidentia Deū provocantis, ut plenum charitatis ſuæ ſpectet affectum. Nam nemo dicit vide, niſi qui judicat, inquit Ambroſius, ſe, ſi videatur, eſſe placiturum. Alludit idem ad legem, quæ præcepit, ut unuſquiſque *ter in anno* ſe offerret *in conſpectu Domini ſ*: quotidie ſe ſanctum offerre, quotidie apparere, *& non vacuum apparere t*; & qui *de plenitudine acceperit Verbi u*, atque Spiritus S. qui *replevit orbem terrarum x*. Perpendit præterea plus eſſe *diligere*, quam *cuſtodire*; & hoc convenire ei, qui non eſt inter ἀσυνετοῦντας *inſenſatos, inſipientes, non intelligentes*, de quibus priore verſu, ſed perfectus eſt intellectu, perfectus ſapientia; *cuſtodire* enim neceſſitatis plerumque eſſe, & timoris, *diligere* charitatis: poſſe nos etiam non amare quod volumus; non poſſe nolle quod amamus. Poſtremo advertit, licèt David, & quivis juſtus mercedem perfectæ charitatis expectet; miſerationis tamen divinæ ſuffragium poſcere, ut in ea vivificetur à Domino, nec eſſe arrogantem debitæ mercedis exactorem, ſed verecundum miſericordiæ divinæ deprecatorem. Eadem propemodum in Hilar. ſunt, qui vitam vult hic æternam poſtulari exemto hoc mortali corpore, & abſorpto in gloriā immortalitatis. Bene etiā Euthymius monet, petere Dav. aliquando vivificari propter mandatorū obſervantiam *y*, ut ſe juſtificet nonnumquā propter miſericordiā Dei, ut modeſtiā & humilitatem ſuam in exemplum, ceteris pro-

n Prov. 8. 17. o 1. Reg. 2. 30. p Joan. 21. 15. 16. 17. q verſ. 47. 48. 97. 113. 119. 127. 140. 159. 163. 166. r verſ. 17. 25. 37. 50. 88. 107. 140. 154. 156. 159. ſ Exod. 34. 24. t cap. 23. 15. u Joan. 1. 16. x Sap. 1. 7. ἀσυνετοῦνται. diligere plus importat quam cuſtodire. y Pſ. 1. 7. 25. 37. 50. 107. 149. 154. 156.

ponat: hoc vero ſecundum perfectius eſſe, quoniam abſolutè non *juſtificatur quis ex operibus a legis*, ſed *coronat nos Deus in miſericordia, & miſerationibus b*. Chryſ. quoq; aut alius aliquis, obſervat in tam crebra iſta mentione mandatorum Dei ſub tot nominibus, ac in eorumdem deſiderio, & dilectione doceri nos *non verbo, & lingua, ſed opere, & veritate diligere*. Quæ Joannis *c* eſt ſententia, non Jacobi fratris Domini; ut idem ille auctor lapſus memoria ſcripſit. Sed & Gregorius *d* magnam hìc attendit in noſtro Propheta virtutem: quia mandata Dei pro juſſione facere ſervientis, & obedientis eſt: diligendo hæc facere, obedientis, & amantis eſt. Auguſt. ait hìc dici, *dilexi*, non autem tantum *non negavi*: quia martyres ipſos ad negandum tormentis impulſos intolerabilibus, ne *nihil id eis prodeſſe abſque charitate e*, oportuit fructum iſtum habere omnium paſſionum. Turrianus noſter in manuſcripto pſalmi hujus commentario diſtinguit cum Dorotheo *f* triplicem ordinem, ſive ſtatum Deo placentium, qui declinant à malo propter metum ſupplicii, paullatimq; accedunt velut ſervi timentes dominum, ad faciendum bonum: qui facientes bonum, incipiunt ſenſim expectare aliquam remunerationem operis boni: qui quum perſeveraverint faciendo bonum propter ſpem, tamquam conducti, adhæreſcendo jam Deo, & in ipſo bono conjuncti, atque copulati cum eo ſecundùm analogiam; guſtant deinceps & capiunt quemdam guſtum illius, ac ſenſum, neque amplius volunt ab eo ſeparari, quæ eſt perfecta dilectio, qua ſincere diliguntur mandata propter ſe. Addit idem Auctor ex Anaſtaſio Antiocheno; ſimilem diſtinctionem: ut qui pœnitentiam agit, & orat, jam adſtare cenſeatur Deo non tamquam reus & damnatus, ſed tamquam debitor & petens remiſſionem ab hoc ſtatu: ſi pergat ſui curam habere, jam adſtet ut ſervus amans dominum ſuum; rurſus ab hoc ſtatu progrediens colloquatur cum Deo, tamquam conductus, non habens debitum peccati ſuper ſe; & ſic non declinans à teſtimoniis Dei: tùm ulterius procedens expetita jam onere anima, loquatur cum Deo ceu amicus cum amico, aut filius cum patre, aut ſponſa cum ſponſo. Hic jam, inquit, non eſt metus teſtimoniorum, neque debitum, neque cogitatio ullius ſupplicii, ſed potius omnis dilectio pura, & ſincera.

a Rom. 3. 20. b pſ. 102. 4. c 1. epiſt. 3. 8. d hom. 10. in Ezech. e 1. Cor. 13. 3. f lib. de timore Dei. Triplex ordo ſive ſtatus Deo placentium.

Vide.) Vide quid hoc de verbo dixerim verſu 153. Retuli etiam prius Ambroſ. obſervaſſe invitari à Propheta Dominum, ut plenum charitatis ſuæ ſpectet affectum: & judicare ſe, videatur ab ipſo, eſſe placiturum.

Quoniam mandata tua dilexi Domine.) Hieron. & Ambroſius, *præcepta*. Arnobius, *legem*. Quidam vero, *Domine*, jungunt ſequenti membro. Hoc parum refert: *mandata*, & *præcepta* ſynonyma ſunt: lex etiam: ſed non eam ſignificant ἐντολαί, & פקודים *piKKudim*.

In miſericordia tua vivifica me.) Hier. *juxta miſericordiam tuam*; quod valet littera כ *chaph* כחסדך *chechaſdeKa* pro qua littera videntur legiſſe LXX. ב *be*; quæ ipſa littera poteſt alterius uſum habere, vel ſignificare idem quod per. Cum dicta priori littera oratum ſuperius *vivificari ſecundùm verbum Dei g, ſecundùm miſericordiam h, ſecundùm judicium i*.

g verſ. 25. 107. h verſ. 88. i v. 149. 156.

Verſ. 160.) Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia judicia juſtitiæ tuæ.

Senſus loci.

Mirum eſt homines reperiri, quos non pudeat prævaricari Dei verba, & præcepta non cuſtodire: videri vero mirum non debet, ſi hoc ipſe obſtupeſcam, & ad id contabeſcam; at ſi me profitear dilectorem legis, & mandatorum divinorum; quoniam ante omnia poni debet, certoq; ſtatui, nec ulla ratione in dubium revocari, quidquid propoſuit Deus credendum, & agendum ac totam ſummam eorum veritate conſtare, judicio juſtitia, & quidem in perpetuum, & ab exordio quum primum cœpta ſunt proponi; ut quamlibet improbi, & impii nitantur ea convellere, id minimè valeant aſſequi. A ſincero veritatis fonte, qui Deus eſt, procedunt verba præceptorum, in quibus etiam continentur promiſſiones, & pœnæ, ideoq; de iſtorum veritate ambigi nequit: *fidelia omnia ſunt, confirmata in ſæculum ſæculi: k in æternum permanet omne verbum Dei l: juſtitia ejus eſt juſtitia in æternum m: æquitas teſtimonia in æternum n, in æternum fundaviſti ea o*: Auguſt. Proſper, Pampolitanus, Lyranus, Beda & alii explicant *principium verborum, quæ ſunt veritas*, ideſt, veracia, de illis, quibus prænuntiatur vita juſto, pœna impio: quæ ſint etiam judicia juſtitiæ divinæ in æternum: ita ut hæc ſit principalis intentio faciendi præcepta iſta. Chryſ. Euthy. & de Latinis Haimo, de iis, quibus initio dedit præceptum Adamo ſub comminatione, quod adeo verum fuit, ut univerſum humanum genus mors imperium ſumſerit, & æterna damnandi ſint inobedientes. Iterum Chryſ. Theodoretus, Baſilius, & ex Latinis Arnobius, de promiſſione facta Abrahæ *p*, ex quo Chriſtus venturus erat, & in hoc benedicendæ omnes gentes & juſtitia humano generi conferenda. Hilarius de verbis, quibus Deus initio fieri debere hominem dixit ad imaginem, & ſimilitudinem *r* ſuam, ita ut vita illa, & imagine victurum ſe Propheta certo hìc ſignificet, atque futurum, ut novus homo regeneratus in Chriſto, vivat deinceps ſecundùm æterni Dei, ideſt, cœleſtis Adæ imaginem jam æternus. Ambroſ. de primo illo præcepto credendi unum Deum, & colendi amandiq; unde proficiſcuntur cetera planè vera, juſta, ab omni iniquitate, ac falſitate remotiſſima, ſive de myſteriis ſive de moribus. Fides, inquit, principium Chriſtiani eſt; plenitudo juſtitiæ: fides in confeſſione populorum: juſtitia in martyrum paſſione. Poſtremo quum ſint plura judicia juſtitiæ, cavere nos jubet, ne quum in uno, aut duobus habeamus quod prohibemur, in pluribus operibus deferamus ad tribunal Dei quod offendat. Caſſiod. & Ayguanus de initio Geneſis *ſ*, in quo includuntur omnia, cœleſtia in cœlo, terrena, & conſequenter vera eſſe quæ ſcripturis divinis comprehenſa ſunt; judicia quoq; juſtitiæ in æternum perduratura, quum pronuntiabitur de reprobis, & electis ſententia *t* deniq; ſicut *initium ſapientiæ timor Domini eſt u*, ita & veritatem loquutionis divinæ. Bruno Carthuſianus, & Remigius, accipiendo *principium* pro eo, quod eſt principale, de cauſſa principali, cur ſe David mandata Dei dilexiſſe dixerit; quia digna ſunt quæ diligantur propter veritatem, honeſtatem, juſtitiam, & ob utilitatem quoniam perducunt ad vitam æternam eos, qui illa cuſtodiunt: nec ea Deus tulit ut ſolent homines ob commodū ſuum proprium, Hugo recitat aliquos ex allatis dicendi modis, nempe de præcepto dato Adæ, ſimul cum nimis: de primis verbis Geneſis: de principio, quod eſt veritas Dei, unde procedentia verba illius veracia ſint, neminemque fallentia. Addit de ſecunda perſona Trinitatis, & Verbo æterno, quod eſt *veritas*, ut jam incarnatum de ſeipſo dixit *x*: propterea vera eſſe, quæ prodeunt ex illo, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi y*. Item de primo verbo, quod Chriſtus legatur protuliſſe, & fuit ex Eſaia *z*, *Spiritus Domini ſuper me*, &c. quemadmodum à Luca *a* proditum eſt. Sed non video quo pacto aſſerat hoc prolatum à Chriſto duodenni. Jam tentatus fuerat à diabolo poſt baptiſmum & jejunium, & cum diabolo colloqutus, & prædicaverat in Synagogis aliis. Quidquid ſit juxta initio aſſignatum litteralem ſenſum, cui ceteri etiam favent, poſſumus affirmare hoc velut epigramma eſſe, ac inſcriptionem totius doctrinæ divinæ, *Veritas*, ideſt, quod nihil, niſi verum tradat: ita ut quum veritatem tradat, merito arguantur qui non credunt *b*, ſed *quærunt mendacium c, non obediunt veritati d*, & veritatem ac judicium veluti in fronte præferenti more ſummi Sacerdotis *e* Chriſto: ſed mendacio, & mendaci, ac *mendacii patri diabolo f*: non ſequuntur magiſtrum veracem, & *viam Dei in veritate docentem g*: & qui *in hoc natus eſt, & ad hoc venit in mundum, ut teſtimonium perhiberet veritati h*, & cujus omnes ſententiæ tam veræ ſunt, ac etiam veriores, quam quæ vocantur prima principia: ſed ei, qui *quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur i*: ſi atque ex veris falſa elicit, Protheo deterior, qui ut eſt in fabulis *, ſe ſe transformabat in omnia. Chara cum primis Deo veritas nec alia res ei magis hominem reddit ſimilem, teſte Pythagora, quam quum vera loquitur. Perſæ ſuum illum Oromagden, quem colebant, homini corpore ſimilem aſſerebant, anima veritati. Diceres odoratos Verbum incarnatum. Jamblicus deniq; τῆς ἀληθείας etymo Græco dixit innui eam circa deos & incorruptam illorum actionem verſari. Fidei ſubeſſe falſum non poſſe, mendaciumq; aut ſcripturis, demonſtrant Theologi, è contrario quam multos & quantos errores habeant ſectæ aliæ omnes, & leges & ſcripta, inductione facili oſtendi poteſt.

k pſal. 110. 8. l pſal. 118. 89. m verſ. 142. n verſ. 144. o verſ. 152. p Gen. 22. 17. 18. r cap. 1. 26. ſ cap. 1. 1. t Matt. 25. 34. & ſeqq. u pſ. 110. 10. Eccl. 1. 16. Prov. 1. 7. x Joan. 14. 6. y Coloſſ. 1. 3. z cap. 61. 1. a cap. 4. 8. b Joan. 8. 46. c pſal. 4. 3. d Galat. 3. 1. cap. 5. 7. e Exod. 28. 30. f Joan. 8. 44. g Mat. 22. 16. h Joan. 18. 37. i cap. 6. 44. k Rhodig. lib. 20. c. 1. Veritas Deo chara. Oromagdes Perſarum Deus.

Principium verborum tuorum veritas.) Hieronymus, *caput verborum tuorum veritas*: licèt Hebraicè demto י *jod*, legatur in ſingulari דברך *devareKa verbi tui*. Alii, *ſumma, recapitulatio, compendium, ſummarium*, quaſi denotetur quod in divinis litteris & præceptis contineantur omnes

omnes veritates, quas nimirum placuit Deo nobis revelare, Vel à capite, exordio, primo principio rerum, ac ſemper uſque in ſæculum dicta omnia Dei,& facta: *hæc enim etiam dicuntur verba*: deprehenduntur eſſe vera & juſta (juſtitiam namq; *veritas* etiam ſignificat) vel jam inde à primis verbis divinæ ſcripturæ, legiſq; cuncta illis contenta vera ſunt, ipſiſſimaque veritas,ab ipſo limine, & ut primùm legitur,aut auditur, percipitur vera complecti. Significat ἀρχὴ *initium*, ſeu *principium*, vel *principatum* quoque; caput non item; etſi hoc, quia in animali primum & principale eſt,eo nomine vocari poſſit: quemadmodum, & nomen capitis de eo, quod præcipuum eſt,deque principe. Quo modo ſenſus item eſſet, quod in verbis Dei principatum tenet, atque denominatur veritas. Hoc videtur voluiſſe Apollin.

σῶν μὲν ἀληθείην προτίσαο μητέρα μύθων.

Tuorum quidem veritatem ſtatuiſti matrem verborum.

Significat ראש *roſch caput*,& præterea *principium ſive rei ſive temporis,ducem,principem, quemq;* vocant *capitaneum* item *ſummum, id etiam,quod in quavis re præcipuum eſt,ac eximium*. Ultimo iſto modo appellatur in Exodo *a* מר ראש *roſch mar,prima myrrha,* ἄνθος σμύρνης, *flos myrrhæ*,& addito epithetho, *electa* ἐκλεκτῆς, דרור *derod ſponte fluentis*. Ad hæc quod eſt in Eccleſiaſtico *b* datum adoleſcenti præceptum, ut *ſi bis interrogetur, habeat caput reſponſum ejus*, Græcè dicitur *κεφαλαίωσον λόγον*, quaſi dicas *capitula*, ideſt, in ſummum redige, verbum, dic paucis, breviter,compendio, ſummatim: vel reſponde quæ tantum oportet,præcipua,bene meditata,non præcipitanter temerè, quidquid in buccam venerit, *ne in multiloquio non deſit peccatum* c; ne facilè mendacium excidat, &c. nam veritas pacis, ſed præcipuis eſt contenta. Simplex ejus oratio debet eſſe, non multiplicata *d*.

a cap.30.23 — b cap.32.11 — c Prov.10.19 — d Sentan.30 — e Æſchylus.

ἁπλᾶ ε γάρ ἐςι ἀληθείας ἔπη

Simplicia enim ſunt verba veritatis.

Item *f*.

f Eurip. in Phœniſ.

ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ

Simplex eſt ſermo veritatis.

In æternum omnia judicia juſtitiæ tuæ,) Hieronym., & *in ſempiternum omne judicium juſtitiæ tuæ*: Habetur conjunctio in Hebr. textu, & משפט *miſpat* in numero ſingulari, ſed Chald. דיני *dine* in plurali. *Judicia juſtitiæ*, aut *juſtificationis*,phraſi Hebræa, *ſunt judicia juſta, & juſtificata*, ſicut in aliis verſibus *g* ejuſdem noſtri pſalmi. Poſſet nihilominus accipi *juſtitia* pro attributo divino; vel tamquam pro forma, & virtute juſtitiæ in Deo ipſo, ex qua proficiſcantur judicia ejuſdem. Omnia hæc judicia,leges,præcepta quo pacto ſit *in æternum*,& *æterna*, ſæpe monuimus adverſus rudes Hebr. Nam per ſe quidem moralibus id convenit, judicialibus & cæremonialibus legis præceptis: quatenus tranſeunt,& permanent in veritate, quam adumbraverunt, & præfiguraverunt.

g verſ.7.62. 106. 164

SIN.

Verſ. 161.) Principes perſequti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum.

Senſus loci.

QUia ſunt verba omnia Dei veriſſima,ipſiſſimaq; veritas, & ejuſdem judicia prorſus,& exactè juſta in æternum, ac immobiliter, demonſtrat Propheta in octonario iſto firmitatem, conſtantiamq; voluntatis, & propoſiti circa cuſtodia legis, & evitationem cujuſvis peccati,atq; Prævaricationis.Hoc autem verſu ait,ſe quamvis perſequtiones ſit paſſus gratis,nulla ſua culpa,nullam cauſſam præbendo,ſed potius beneficiis afficiendo,à viris principibus, non ſolum à multis quos ante *h* dixit perſequtos ſe, ac attribulaviſſe;nimirum à Saule,filio ejuſdem Isboſet,atq; illius duce Abner,ab Abſalone proprio filio tamen fortiter in legis cuſtodia perſeveraſſe,& Dei mandata reveritum eſſe, quæ vetant proximum odiſſe propriaſq; injurias ex odio vindicare;mortem corporis quã ſibi conabantur inferre neglexiſſe,propter timorem Dei, reverentiam eorum,quæ præcipit; quoniam Sauli ſemel, ac iterum pepercit *i*, eædem Isboſet ultus K eſt, mortuũ Abſalonem deflevit *l*. Hoc eſt nimirum *non timere eos, qui occidunt corpus tantùm, animam vero occidere non poſſunt,ſed eum, qui & animam & corpus poteſt perdere in gehennam* m: De populo in captivitate Babylonica,quem Rex perſequebatur Chaldæorum, ejuſdemque magiſtratus. Anaſtaſius, & alii hoc interpretantur, ut & pſalmum totum. Et ſane Daniel cum ſociis gratis perſequtionem patiebantur, hiſque ſimiles alii, in quos crimina confingebantur.

h verſ.157 — i 1.Reg.24. 11.cap.26.13. & ſeqq. — k 2.Reg.4.9 & ſeqq. — l cap.18.23 — m Matt.10 28

Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, ceteri ferè Latini hoc transferunt ad Eccleſiæ perſequtiones potiſſimùm quas martyres paſſi ſunt gratis, ideſt, injuſtè. Nam timuerunt,ut ſcribit Ambroſius,timore ſancto *n*,& ſanctorum *o*,quo *cupiebant*,ſeu *volebant nimis in mandatis DEI p*, & inter pericula, tormentaque conſtituti, cogitantes eadem mandata,præterea ignem perpetuum,illud ſine fine incendium perfidorum, illam pœne recrudeſcentis ærumnam; trepidabant corde, ne dum præſentibus cederent, perpetuis ſe dederent exitiis: & perturbabantur animo, dum futuri judicii romphæam illam terribilem quadam conſpectus ſpecie contuebantur: ad hanc autem trepidationem æqualis in eumdem concurrebat effectum confidentia conſtantium, qui cupiebant æterna. Hunc Ambroſii commentarium recitat Eccleſia in officio de uno martyre nocturno ſecundo, Auguſt. vero perpendit, quod gratis martyres perſequtionem ſunt paſſi, nõ tantũ quia nulla ullum privatum affecerunt injuria, ut Ambr. notavit, ſcilicet aliquid rapiendo,aliquem opprimendo, ullius ſanguinem fundendo,ullius torum violando,quidquam debendo legibus;denique non noxii,non venefici, ſed etiam quoniam non læſerunt regna terrena, quum eorum Rex milites ſuos non prohibuerit impendere & exhibere, quæ debentur Regibus terræ immò *reddere quæ ſunt Cæſaris, Cæſari* q: atque ipſemet tributum de ore piſcis perſolverit *r*; & præcurſor juſſerit non deſeri malitiam,ſed ut caverent milites à concuſſione & calumnia, *contenti ſtipendiis ſuis* ſ: & Paulus *t*, *ut omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſſet,atque ut redderent omnibus debita;cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

n Pſ.18.10 — o Pſ.33.10 — p Pſ.111.1 — Martyres perſecutionem gratis paſſi ſunt. — q Matt.22. 21 — r cap.17.21. — ſ Luc.3.14 — t Rom.13. & ſeqq.

Idem porrò Ambroſ., & Chryſoſt. myſticè declarant Principes eſſe pravos ſpiritus, quibuſcum colluctationem nobis eſſe monuit Apoſtolus *u*, vocans *Principes, & Poteſtates*,noſque in noſtro pectore conantur opprimere, & perſequtionum ſæva intus in nobis operantur. Gratis perſequi,ait Ambr., apud quem nihil ſuum inveniunt, eum ſubjugare contendunt: non gratis, qui ſe eorum dederit poteſtati,& in poſſeſſionem ſæculi totus intraverit; ab illo mercedem iniquitatis efflagitando. Hos alibi appellavit David *adverſantes ſine cauſa* x, *gratis abſcondentes interitum laquei ſui* y, *odientes gratis* z, *expugnantes, & impugnantes gratis* a; & Jeremias *b venatione capientes quaſi avem gratis*. Hugo complexus eſt nomine *principum* ſpirituales dæmones,homines terrenos *b*,ſenſus carnales: gratis perſequi ſine culpa,ſine cauſſa,ſine utilitate, mala ſuggerendo,& apertè aliquando ſæviendo: rerum injuriis verborum contumeliis, verberum moleſtiis affligendo: vanitates hauriendo. Chriſtus ipſe *odio ſe gratis habitum* dixit *c*, eumq; Principes perſequti ſunt etiam gratis, ita ut Pilatus nihil ſe in eo cauſæ inveniſſe reſponderit, nec Herodem *d*. *Nihil in eo iniquitatis inveniri* potuit *e*; non fuit *qui arguere* & convincere *de peccato illum poſſet f*. Solus propriè, ac perfectè affirmare potuit quod ipſum alii gratis perſequti eſſent, ac ſine cauſſa, & ſine ullo commodo, quod inde trahere poſſent: nam ſolus per ſe Chriſtus penitus immunis à peccato: nulli umquam utile eſſe potuit illum odiſſe, ac perſequi. Hac in re,vel in alia poteſt quis innocentiam ſuam cauſſari; at quævis tribulatio aut perſecutio poteſt pœna eſſe, ſive pœnalitas vel originalis peccati,vel actualis: præterea occaſio plus merendi: cauſſa vitandi peccata, & varias virtutum actiones exercendi. Martyres,quod attinet ad crimina,quæ ipſis, & omnibus Chriſtianis objiciebantur à Gentilibus,& pro quibus dicebantur pœnas luere,prorſus innocentes erant ut noſtrorum tot apologiæ teſtantur. Si qui ex infidelibus vel hereticis pro ſua ſuperſtitione,aut errore ſimilia paſſi ſunt,cõſtat adeo tùm abſurda credidiſſe, ac docuiſſe tùm mala feciſſe,cum ipſa naturæ lege,atq; ratione pugnãtia, ut facilè perſuaderi poſſit eos illa in re non à Dei providentia directos, verum meritas pœnas dediſſe æquiſſimæ eidem providentiæ,ac juſtitiæ ob ſtultitiã,& improbitas.

Senſus myſticus. — u Epheſ.6.12 — x Pſ.3.8 — y Pſ.34.7 — z ibid.v.19 Pſ.68.5 — a Pſ.108.3 Pſ.119.7 — b Thren.3.52 — c Joan.15.25. pſ.24.19 — d Luc.13.14 15 — e Jerem.2.5 — f Joan.8.46 — Infidelibus & hæreticis martyrũ nomen convenire non poteſt.

Sin.) Scribunt alii *ſen*,& cum puncto in dextro cornu litteræ ש fortius proferendo, *ſcin*, vel *ſcen*, & more quarumdam Gentium,quæ *ch* pronuntiant eo fere modo quo Itali, *ſc*, in *ſcindo, deſcendo*, & ſimilibus, *ſchin*, aut *ſchen*. Ambr. ſecuti multi, litteræ notionem ajunt eſſe *ſuper vulnus*, multaque cum eodem Patre ſuper eadem notione philoſophantur. Non omnes conſentiunt, ut Bartholomæus tamen Camerarius affirmat. *Mutationem*, vel *ſecundationem* Zamorenſis interpretatur à שנה *ſcianah*: Iſaac, *diſce*: unde, adhuc non didici: Hieron. ac periti quique *dentem*,qui dicitur שן *ſcen*, quia hæc littera videtur dentata,& ſimilis tridenti. Quomodo ſignificari poſſit *ſuper vulnus*, omino me latet: ſignificaret potius à שין *ſciain urinam*; quod abhorret à propoſito. Dentem refert princeps robore, ac potentia ſua, & quidem tyrannum,qui alios dilacerat,ut diximus pſalmo *a* tertio ubi canitur *Deus dentes peccatorum contriviſſe*: & in 57. *b*, ubi eoidem *in ore*: *& molas leonum confregiſſe*: & Danieli *c*, per *dentes ferreos* deſignata eſt potentia, crudelitaſque populi quondam Romani, qui veluti comedens redegit regna multa in provincias, alia demolitus eſt; quædam tributo ſubjecit. Hic agitur de Principum perſequentium quaſi dentibus. Turrianus tamen noſter in manuſcripto commentario, quia *ſcen*, *dentem elephanti* ſignificat, *eburve*, arbitratur hac littera indicari ſpolia, de quibus fit mentio verſu 162. quia ſolet id inter ſpolia numerari. Conjectura non admodũ gravis.

Notio litteræ ſin.

a verſ.8 — b verſ.7 — c cap.7.7

Principes perſequti ſunt me gratis.) Hieron., *ſine cauſſa*, quod valet חנם *chinnam*, aut *ſine utilitate*; ut nec fuerit ex parte Davidis ullum meritum, nec ex parte perſequentium utilitas ulla. In pſalmo 3. *d*, quod legimus *ſine cauſſa*, eſt Græcè *ματαίως inaniter, fruſtra*, & deberet Hebraicè eſſe ſicut hìc, ut ibi dixi. In 34. *e* 68. *f*, 108. *g*, reperiuntur eadem vocabula præſentis loci, *gratis*, δωρεὰν, שקר *chinnam*. Idem etiam eſt *perſequi*, vel *odiſſe aliquem inique* ut in pſalmo 37. *h*, ἀδίκως חנם *ſceher*, *mendaciter*, atque *ſine cauſa*, & *merito*: quamvis hæc diſtinguat ibi Ambroſius & Delrius *i* noſter lapſu memoriæ aſſerat eo loco etiam eſſe חנם *chinnam*.

d verſ.8 — e verſ.7. 19 — f verſ.5 — g verſ.3 — h verſ.21 — i in Thren. 3.52

Et a verbis tuis formidavit cor meum.) Hieron., *verba autem tua timuit cor meum*, alii in ſingulari *à verbo tuo*, prout aliter legunt abſque י *jod* מדברך *middevarecha*, quod nunc extat cum ea littera, nota numeri pluralis. Vertunt præterea ferè ſynonymè *expavit, trepidavit*, ut Ambroſius, *veritus, aut reveritus ſum*. Poſtquam David præcidit oram chlamydis Saul,quem occidere potuerat, *percuſſiſſe* ſcribitur *cor ſuum*, & *confregiſſe viros ſuos*, qui hortati erant, ut occideret, *ſermonibus*, *nec permiſiſſe*, *ut conſurgerent in eum* k. Percuſſio illa cordis deſignabat gravem dolorem,timorem, pœnitudinem, quum ſecum reputaret verba Domini de honorandis Regib. Chald., *doluit in corde ſuo*, ubi comminiſcuntur Hebræi propterea Davidem ſimili pœna punitum ſub vitæ finem, ut veſtibus caleſieri non poſſet. Timor quidem certè frigefacto corpore concitatur, ſicut & horror, ſtridorque.

k 1.Reg.24. 5.6.7.8

Verſ. 162.) Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.

Senſus loci.

EX timore Dei,& reverentia verborum ſive mandatorum ipſius ortam in ſe lætitiam ait, & oriri ſolitam, ſemperq; orituram, quoties data occaſione perſequutionis, ac tribulationis, nihilominus impleverit ea, pluſq; timuerit illa & Deum quam quævis incommoda, & damna. Hinc timorem incutiebant comminata ſupplicia: ſed hinc etiam lætitiam conciliabant promiſſa præmia; quam duplicem Cyprian. *l* proponebat,& commendabat martyribus in perſequutionem,meditationẽ, amorumq; præparationem. Comparat vero vir bellicoſus,belloq; aſſuetus lætitiam illam & exultationem ſuam cum lætitia & exultatione, quæ percipitur à militibus, quando ſpolia ample referunt poſt dimicationem, quam exagerat Eſaias *m*. Præterea quia, ut notant Chryſoſt., Theod., Baſilius fecerat de principibus perſequentibus, bello nempe,mentionem: vultq; declarare ſe non tantam ex eorum victoria,& ſpoliatione voluntatem capturum, quam ex meditatione,atq; obſervantia mandatorũ Dei: Ad hoc *quoniam vita noſtra militia eſt ſuper terram* n, perpetuoq; certandum quoad vivimus, & divina obſervare præcepta, prout debemus, ſtudemus, cum fortiſſimis ac importuniſſimis hoſtibus, ex qua pugna victoriam qui reportant, inſignes referunt coronas, & palmas longè pretioſiores quãtiſcumq; & quibuſcumq; opimis,& opulentis ſpoliis,manubiis,exuviis, quas ulli umquã in bellis ſint conſequuti. *Non coronatur niſi legitimè certans* o, nec niſi *violenti rapiunt regnum cœlorum*, quod *vim patitur* p. Poſtremò nullum lætius lucrum, quam diteſcere ſpoliis hoſtium, quoniã cum laude victoriæ conjuncta ſunt, moxque contingit ex iis utilitas, hinc præter expectationem, hinc tamquam fructus laboris deſideratus. Tanta ſe lætitia affici ſignificat, quantum caperet, ſi ipſoſmet principes perſecutores ſuos vinceret, atque ſpoliaret: immo eorum omnem ditionem, & regna ſibi compararet. Non ſolo ſe timore aſſerit impulſum ad ſervanda mãdata, illo ſcilicet, quid de pœnis eſt neque cum perfecta conſiſtit charitate *q*, ut Apollinarius obſervat in commentorio: ſed commotum charitate,& quod iſtam comitari proximè ſolet gaudio *r*, exultatione,alacritate,hilaritate, quam *Deus diligit* ſ. Excluſit timor verborum Dei, timorem Principum,ſicut calor balnearum, inquit Ambroſius calorem ſolis,& fervorem gratiæ ſæcularis, gratiæ fervor æternæ. Idem porrò etiam ſpolia noſtra vocat ea, quæ prius Judæi abſtulerant Ægyptiis: ſed myſticè aurum mentis, cœleſtis ſermonis argentum, ſcripturas ſanctas utriuſq; teſtamenti,quas inveniſſe dicimur, quia ſine labore ad nos pervenerunt. Sed & *regnum cœlorum ablatum Judæis, ut daretur genti facienti fructus ejus* t. Præterea Chriſto accommodat ſententiam,qui, ut Goliã David obtruncatum gladio ſpoliavit, ſic ille detraxit diabolo ſpolia, vaſaq; diripuit: carnem videlicet hominis peccatoris,ut fieret *vas electionis*: quemadmodum Paulus *u*: merito proinde vocatum ab Eſaia *x* juſſu Dei Chriſtũ, *velociter ſpolia detrahe, divide cito*, regemq; Aſſyriorum, cujus idem meminiſſet, diaboli typũ fuiſſe: merito ſtatim ad natum *reges Saba dona deduxiſſe* y: deniq; mundi converſionem dici ſpolium poſſe. Similem voluntis affectum ex ſermonibus, & præceptis divinis demonſtravit propheta noſter prius, proferens ea *millibus auri, & argenti* z *auro, & topazio* a. Jeremias *b* item *factum ſibi verbum Dei*, Deo dicebat *in gaudium, & in lætitiam cordis ſui*, & Zacharias *c locutum Angelum in ſe verba bona, verba conſolatoria*: & amanuenſis Jeremiæ *d beatos* affirmabat, *quibus quæ Deo placita erant manifeſtabantur*. Sed adjici debet, *beatos eſſe qui quæ audiunt, cuſtodiunt* e: *quæ ſciunt faciunt* f: *quia non auditores legis*, ſive *ſcientis eam, ſed factores juſti ſunt apud Deum* g, & conſequenter beati. Inter ſpolia cenſet Auguſt. ipſoſmet perſequutores patiẽtiam martyrum converſos Gregorius *h* erepta quoque interpretans Judæis eloquia divina, ſicut exponebat Ambroſius, ad fidẽ Domini gentilitate tranſeuntes, illuſtrat exemplo Pauli, qui tamquam *Beniamin*, (ex qua tribuerat) *lupus rapax quum mane prædam comediſſet, veſperè diviſit ſpolia* i, quia in primordiis ſuis fideles, quos potuit rapiens, crudelitati propriæ ſatisfecit, fidelis poſtmodum factus ſacra eloquia exponendo diſtribuit. Adjice,& non paucos de perſequtoribus convertit, converſus ipſemet (quod hodie celebramus, dum hæc ſcribent) precibus ejus quem perſequtus fuerat, & in cunctis lapidantibus lapidaverat. Quum juſti talia ferunt ſpolia impiorum, lætiſſimi *decantant nomen ſanctum Domini, & victricem manum illius laudant pariter* k; & is quem dixi Paulus hoc nomine Pauli cœpit appellari ex Saulo, quaſi ob triumphatum Proconſulem Paulum Sergium, ideſt, à ſe converſum, ut alibi oſtendi *l*. Peccator item quum redit ad pœnitentiam divinis parendo eloquiis, & excipiendo utiliter abſolutionis eloquia, ſive verba, *datur auditui ejus gaudium, & lætitia & exultant oſſa ejus humiliata* m: quia invenit, atque recuperat ſpolia, quibus per peccatum ſpoliatus fuerat, reviviſcentibus prioribus meritis, & gratiæ donis, mortificatis in ſtatu peccati. Inerrabilia ſunt gaudia iſta nec ſatis exprimi, vel exagerari valent.

l Cyprian. epiſt. 55. — m Eſai.c.9.3 — n Job.3.1 — o 2.Tim.2.6 — p Matt. 11 12 — q 1.Joan.4 18 — r Gal.5.22 — ſ 2.Cor.9.7 — t Matt. 21. 43 — u Act.9.15 — x cap.8.13 — y Pſ.71.10 — z verſ.72 — a verſ.127 — b cap.15.16 — c cap.1.13 — d Baruc.4.4 — e Luc.11.28 — f Joan.13.17 — g Rom.2.13 — h 18.moral. c.8. vel 11 — k Sap.10.20

Lætabor ego ſuper eloquia tua.) Hieron., *gaudens ego in eloquio tuo*, Eſt participium שש *ſas*, & ſingulare nomen in affixo אמרתך *imratheha*, ſed participio ſubſtantivum verbum adjectum reddit illud cujuſvis temporis, in plurali autem אמרתך *imrotheha*, legerunt LXX. Vetus Pſalterium, & Ambroſius, *exulto*. Auguſtinus, & Proſper atque Orienſis *n*, *exultabo*.

n de Inſtit. monach.

Sicut qui invenit ſpolia multa.) Præſentis temporis eſt *invenit*, quia ſunt participia ὁ εὑρίσκων & מוצא *motſe*: tametſi poſſet ſubaudito verbo præterito ſubſtantivo, exponi *qui inveniens fuit*, vel *erat*. Alii exponunt, *qui educit* deducentes dictum participium Hebr. non à מצא *matſa*, ſed à יצא *iatſa* in *hiphil*. Pro *ſpoliis* vertunt alii, *prædam*, vel *theſaurũ*. Eſt שלל *ſcialal* in ſingulari ſpolium à שלל *ſcialal* verbo quod ſignificat *ſpoliare*, itemque *detrahere*, ac *prædari*: ſumique pro quavis præda poteſt. Dicuntur σκῦλα, ut alibi *o* docui de his quæ ab hoſtibus, & mortuis detrahuntur, quia σκῦλον eſt pellis feræ detracta, quod

o Sap.10.20